67

14

e8.c1

Ref 67
M-Th

Estante C.
N. 2

HELVETIA ANTIQVA ET NOVA,

Seu,

Opus Describens

I. Helvetiam, quoad adjuncta & partes *& Helvetiorum antiquitatem, originem, nomina, mores, antiquam linguam, Religionem, Politiam, virtutem bellicam, &c.*

II. Antiquiora Helvetiæ loca, &c.

III. Populos Helvetijs finitimos, &c.

Operâ & Studio

Joh. Bap. Plantini Lausannensis & apud Castrodunenses Helv. V. D. M.

Cum Gratia & Privilegio Magistratus Bernensis.

BERNÆ

Excudebat Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Typographus, Georgius Sonnleitnerus,

M. DC. LVI.

Illustrissimis, Potentissimis ac Magnificentissimis Viris,

DN. ANTONIO A GRAFFENRIED:

DN. NICOLAO DACHSELHOFERO:

Amplissimæ & Potentissimæ Reipub. Bernensis COSS. alternis;

NEC NON Ejusdem

Quæstoribus ac Tribunis Dignissimis, totiq; SENATUI Augustissimo, felici ac pio:

ESTANTUR Historiæ, hāc fuisse olim in quibusdā Regibus & Imperatorib. animi magnitudinē, mansuetudinē & humanitatē; ut nihil esset illis jucundius, quàm in ipsis castris, armorum strepitum & belli horrorem, literarum lenitate & studiosorum hominū colloquiis mitigare. Vester is est favor, Illustr. Proceres, & ea animi vestri est bonitas, ut benignè literatos cōplecti, & studiorum professores, inter belli

rumores, & gravia Reipub. onera, fovere dignemini: hac de causa, non mei fiduciâ fretus, sed clementiâ vestrâ nixus, majori ad vos accedo firmitate, mei instituti rationem alijs non anxiè redditurus; aut Vobis etiam prolixè probaturus. Exiguum E. V. offero munus, ortus illius tenuitatem ostendit, materia verò rei dignitatem arguit. Continebit enim hoc opusculum, generalem Antiquæ & Novæ Helvetiæ, quoad adjuncta & partes, descriptionem, Helvetiorum originem, nomina, mores, religionem, &c. aliasq; antiquitates, quales ex tot vastationibus superesse possunt, sufficientes quidem ad demonstrandum, nostram Helvetiam inter Europæ provincias non infimas tenere, nec tam vilem aut abjectam fuisse, quin apud Veteres insignis habita fuerit. Agri bonitatem & amœnitatem, aëris salubritatem, inprimis cœli benedictionem possidet. Hanc terram Canaan nominare licet; *Regionem bonam & amplam, regionem affluentem lacte & melle*, *Exod. 3. Non est, ut terra Ægypti, ut semines semen*

ſemen tuum, deinde irriges labore pedis tui, ſicut hortum olitorium, ſed terra montium & convallium eſt, ad pluviam cœli imbibit aquam: Eſt terra, quàm Deus tuus curat; jugiter oculi Jehovæ Dei tui intenti ſunt in eam, à principio anni, uſque ad finem ejus. Deut. 11. Quis aptioribus verbis Divina in noſtram Helvetiam collata beneficia repræſentare queat? Quo etiam tempore Omnipotens virgâ ferreâ populos confringebat, & ſicut vas figlinum diſſipabat eos, iſti Europæ angulo pepercit, atque Helvetia inter tot hominum cædes, urbium deſolationes, vicorum incendia, regionum vaſtationes, terra quædam ſancta viſa eſt, pro qua ſupremum Numen excubias ageret, ita ut nec à gentibus prophanata, nec humano ſanguine cruentata fuerit. Stetit in decumana illa Europæ ſuccuſſatione illæſa hæc Noachi arca, ut miſeris, & ad belli ſcopulos illiſis hoſpitium & portum præberet; quinimo miſericordiarum Patri, atras illas, quas aëris princeps coëgerat nubes ante biennium diſſipare, & motos illos fluctus brevi compo-

nere placuit. Majora adhuc, secluſa omni collatione, ſuperſunt beneficia, alijs nationibus non communicata, hæc dignè commemorare fas non eſt. & illorum ſine gratiarum actione meminiſſe nefas. *Benedictus eſto Deus, & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali, in cœlis in Chriſto*, Epheſ. 1. v. 3. *Qui eripuit nos ex poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit nos in regnum filij ſui dilecti.* Coloſ. 1. v. 13. Qui effecit, ut omnibus filijs Iſrael ſit lux in habitationibus ipſorum, relicta in caliginoſis tenebris Ægypto. Graſſantibus enim per totam terram errorum tenebris D. O. M. viſum eſt primùm in Helvetia ſui Evangelij facem accendere, & candelabro lucernam, quam ſubter modium poſuerant Antichriſti ſtryges, imponere, ut ſuis domeſticis ſplenderet. Illuſtre eſt ampliſſimæ veſtræ ditionis imperium, inſigne agri veſtri uber, digna legum veſtrarum ſanctitas, laudabilis veſtræ Reipublicæ adminiſtratio, magnà veſtri ſtatus potentia, ſplendidus urbis veſtræ inclytæ ornatus, miranda regio veſtra,

quæ

quæ frequentiora, quàm reliqua Helvetia, habet antiquitatum monumenta: Quibus omnibus ut veſtræ felicitati nihil deeſſe videretur, illuſtrior adhuc, reformatæ ſecundùm Dei verbum religionis cultus ſplendor acceſſis. Splendeat nobis in æternum ſol ille juſtitiæ, nec unquam nobis occidat, ne ſuperveniente iterum nocte, exitioſis involvamur tenebris. *Excubemus igitur omni tempore, deprecantes, ut digni habeamur, qui effugiamus iſta.* Luc. 21. 36.

Cùm autem apud me perpenderem, quàm infirmùs eſſet hic meus primus fœtus, & de Patronis, apud quos tutum haberet perfugium, ac in aprico verſaretur, cogitarem, dubius prima fronte hærebam, ſed addidit animos ſolita veſtra clementia, quæ ſicut minima non dedignatur, ita non ex munere animum, ſed ex animo munus æſtimabit. Veſtræ ergo confiſus benevolentiæ aleam potiùs faciẽdam, quàm ingrati animi famam ſubeundam duxi. Cùm enim diverſimodè E. V. & mei natales, & meum officium, me obſtrictum teneant, offerendæ Vobis erant

hæ primitiæ, atque hunc meum laborem augusta vestra dignitate quidem inferiorem, illustrandæ verò patriæ fortè non inutilem, Illust. V. N. inscribere debui: Ut autem opusculum hoc benigna manu, & operarium sereno vultu, suscipere, tueri, intuerique dignemini, submissè rogo; totis animi viribus orans eum, *qui summa cum exuperantia potest omnia facere supra ea, quæ petimus aut cogitamus*, Eph. 3. v. 20. ut Ex. V. det vitam diuturnam, felicem dominationem, inculpatam administrationem, pacatam Ecclesiam, immotam veritatem, tempora pura, probos subditos, qui vos, ut hactenus, Abimelechos habeant, vobisque bene imperantibus bene obediant. Sit in seculorum finem usque Berna opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honesta, pietate præcipuè insignis, religioneq; sancta ac beata. AMEN.

Dabam Castroduni in præfectura Sanensi 18. Decemb. 1655.

E. V.

Humilimus & observantissimus
JOH. BAPT. PLANTINUS,
V. D. M.

Lectori Benevolo S.

Sicut orbem describere impeditum opus est & facundiæ minimè capax, ut ait *Mela lib 1.* Ita quoq; de Helvetia nostra multis rebus clara & illustri exactè & perfectè loqui facile non esse verisimè dixerimus. Mirabitur ergo quispiam, qua ratione in hocce defæcato seculo ego muneri gravi implicatus, nemini cognitus, nulla authoritate valens, multorum ignarus, infimi inter literatos subsellii senator; tam difficile ac arduum opus susceperim, & non bene tritum iter ingressus sim. Operis magnitudinem agnosco, pondus sentio, infirmitates meas fateor, remoras & obices video, nummorum penuriam, historicorum librorum sive typis excussorum, sive manusc. inopiam, à bibliothecis recessum, amicorum paucitatem, paucorum notitiam, communicationis cum eruditis, & favoris apud Magnates defectum, linguæ Germanicæ

ignorantiam, ingenij mei tenuitatem, &c. Ita ergo satiùs mihi fuisset silere, quàm parum loqui, sicut dicebat de Carthagine *Salustius*, sed

Vicit amor patriæ, cui nos cedamus amori.

Hanc ignotam incolere duxi turpe, ad illam pro nostro modulo illustrandam Strabonis, Amasiam patriam diligentissimè describentis impulit exemplum, ita ut propterea nulli pepercerim labori, quem cum charitate inspice, & cum benignitate suscipe. Si hic meus conatus tibi prodesse non possit, nemini tamen obfuturum confido, mihi hoc tentasse vadum & hanc fregisse glaciem satis fuerit, modò aliquis uberiore ingenio & doctrinâ instructus, vel ab his nostris etiam accepto stimulo plus aliquid audeat: si alicubi me errasse credas, scias me esse hominem, meque cum aliis errasse judica. Si tibi hoc placuerit opusculum, ad meliora posthac in publicum ptofercnda animos feceris. Quoniam verò, propria indagine difficilia tentare, aut (quod ajunt) sine cortice nare, nõ cuivis datum est, rogatam cupio literatorum, & omnium antiquitatum studiosorum humanitatem,

ut

ut in posterum, quæ peculiaria habere poterunt, mihi communicare non dedignentur, meum erit agnoscere, quorum vel scriptis, vel operâ adjutus fuerim, illorumque nomina publicè cum honore profiteri, & in scriptis nostris apponere, non enim eò usque arrogantia aut vanitate laboro, ut quæ aliorum sunt, mihi tribuere velim, unde etiam quàm fieri potuit, Authorum, quorum opera usus sum, memini. Quòd si quandoque illorum opinionibus subscribere non potui, id à me aliquo malevolo affectu factum non est, sed qua fieri potuit diligentia & industria, veritatem quærere mihi semper fuit propositum. In rebus dubijs conjecturæ unicuiq; liberæ. Non hîc reticere possum, nec debeo, me Doctorum & in antiquitatibus versatorum virorum opera usum fuisse, quos hîc honoris gratiâ nomino. Cl. ac Doctiss. Vir, Dn. *Huldricus*, Tigurinorum Antistes non solùm eo favore me dignatus est, ut ad me Simleri MSC. miserit, sed & suis notis hunc librum cohonestarit. Dn. *Hermannus*, Reip. Bern. Generalis Commissa-

missarius meritissimus: Et Dn. *Gaudardus*, J. V. Doct. Consultiss. multùm me suis observationibus adjuvarunt; maximè hic me suis officijs & beneficijs diversimodè obstrinxit, ita ut publicè mihi profitendum sit, hunc librum lucis non parum ab ipso accepisse, meque illi devinctum variè. Si Deus pace & vita mihi frui dederit, nihilq; obstiterit, cum tempore specialem omnium Helvetiæ locorum descriptionem aliaque notatu digna, inprimis historiæ Helveticæ ab antiquissimis temporibus, synopsin tibi dabimus. Vale.

Ad

I.

Ad Reverendum & Doctiſſimum Virum,

D. IOHANNEM BAPT. PLANTINUM,

Opus novum de Helvetia Antiqua & Nova publico bono dantem.

Laudem merentur maximam quos Gentium,
Et radio & calamo,
Origines cum ſedibus
Scripſiſſe Poſteris juvat. Namq; expetit
Quisq; ſuæ patriæ
Gentisq; habere encomium.
Multi tamen vulgi ſequuntur fabulas
Credulitate levi
Inviſa quando proferunt.
Antiqua quàm ſit, tradidêre plurimi,
Nobilis Helvetia,
Quæq; indoles gentis gravis:
Ut Plinius, Cæſar, Strabo, Pomponius,
Ac veteres alij
Digni fide Geographi:
Poſt hos recentioris ævi plurimi,
Exteri & indigenæ,
Ceu ſunt Bodinus, Bertius,
Boterus, Heuterus, Capella, Lazius,
Jovius *atq;* Niger,
Chytræus & Gollutius.

Ex

Ex his tamen plerique, sæpè cæspitant,
Et graviore ruunt
Lapsu, locorum nescij
Præsentium, quos hi volunt describere:
Rectiùs ergò suam
Delineabit patriam
Helvetius, lustrare quit qui proprijs
Singula luminibus,
De finibus quando ambigit.
Quis ergò non Plantine *commendet tuum*
Hoc opus eximium?
Quo antiqua cuncta contrahis
Solers in unum; corrigis, si quid minùs
Congruit Historiæ
Helveticæ, Veteri aut Novæ;
Vel explicas, obscura si quæ repperis:
Conciliare studes
Sententias contrarias.
Huc ergò adesto, amice lector, quem juvat
Noscere Gesta Patrum
Heroïcà, atq; imitarier.
Hinc non minùs, quàm bella si pervolveres
Martia Romulidûm,
Manabit ad te commodi.

Debiti honoris ergò appositit
SAMUEL RHORIUS in
Schola Bern. Phil. Prof.

In Hel-

II.

In Helvetiam Antiquam & Novam

VIRI

Reverendi, Clarissimi, Rerum Helveticarum Historicarum peritissimi,

DN. JOH. BAPT. PLANTINI,

Ecclesiæ Castrodunensis ministri Vigilantissimi.

ÆQuoris exhaustis terræ varijsq; periclis
Multi omnes mundi per volitare plagas,
Ut varios hominum possent perdiscere mores,
Deq; illis sana cum ratione loqui.
Hos ego non sperno, per me laudentur: at illos
Quæ manet utilitas, gloria quæve manet?
Multa licet multis possint narrare superbis,
Quas lustrasse volunt de urbibus, imperijs,
De patria verò forsan tellure rogati
Obticeant penitus, labraq; muta gerant.
Hos ego PLANTINUM, qui res brevitate paternas
Perspicuâ tradit, volvere sæpe velim:
Commoda plura ferent, quàm si maria omnia circum
Errassent, mundi & mœnia cuncta, vagi:
Commoda plura ferent, quàm si monumenta Quiritum
Volvissent, Grajûm factaq; clara virûm.
Strenuus, antiquus, validis acerrimus armis
Occurret populus, consiliijsq; potens,
Heroûs cernent mores, legesq; severas,
Ac cum Principibus fœdera pacta pijs,
Urbes magnificas templis domibusq; superbis
Ornatas, cultis Pieridûmq; scholis,

Mon-

Montes excelsos, præstantia flumina, fontes
Divinos, patulos piscíferosq; lacus,
Invenient virides quæ tangunt æthera sylvas,
Arboribus variis ruraq; plena novis.
Cætera non referam; referet PLANTINUS in isto,
Quem tibi commendo, Lector amice, libro,
Dic ipsi mecum memori de pectore grates,
Atq; ejus laudes effer ad astra poli.

J CO[illegible] ANTHONIUS VULPIUS,
[illegible]OLÆ BERNENSIS
Gymnasiarcha.

III.

REVERENDO ET ERUDITISSIMO viro, J. B. Plantino Lausannensi, & V. D. M. fidelissimo.

CARMEN.

ERgo iterum nobis sistis Plantine Parentem,
Cuius adhuc luctu lumina nostra madent:
Quem sequeris presse, & claris virtutibus æquas,
Mittis & ad seros nomina clara dies.
Quas tibi pro meritis persolvet Patria grates,
Patria jam scriptis nobilitanda tuis?
Per te iterum vivet rediviva, sepulta vetustis,
Hinc tua & in terris fama perennis erit.

Pra-

Præclaro Helveticus calamo tibi pingitur orbis,
Ejus & Herôas, mens tua δῖα capit.
Mens tua δῖα capit quod totus non capit orbis:
Parva tui libri pagina magna capit.
Pagina parva capit bella, atque ingentia facta,
Cæsareasq; notas & monumenta sapit.
Magnorum monumenta ducum, quibus inclyta fulget
Helvetia, & clarum tollit ad astra caput.
Pandit & Helvetiæ mores veteresq;, novosq;,
Atque per innumeros quâ stetit ante dies.
Perge vetustatis tectos recludere fontes,
Et referare, diu quæ latuêre libros.
Perge quoque Helveticam populis recludere cunctis
Historiam, & scriptis hanc decorare tuis.
Vindicâ & à tenebris magnorum facta virorum,
Herôum vitam vindica & ipse tibi.
Te duce & Helvetiæ nunc toti illuceat orbi,
Famâq; nunc feriat solis utramque domum.
Inter & Helveticas urbes resplendeat Arctos,
Præsidium Helvetici dulce decusq; soli.
Atque Patavinæ certet Lausanna coronæ
Te nunc historico nobilitata suo.

Gratulabundus accinebat
amico æternùm colendo
J. P. D'APPLES Laus.

Le meſme au meſme.

SIZAIN.

LA Suiſſe qui fournit le ſubject à ta plume
D'eſcrire maintenant ceſt excellent volume
T'a beaucoup obligé par un ſi beau ſubject:
Mais elle a beaucoup plus pour toyde redeuance,
Qui te doit faire un jour de ſon amour l'object,
D'auoir tiré ſon nom du tombeau d'oubliance.

IV.

Ad præſtantiſſimum Dominum Authorem.

Δεησιχον.

QUòd tibi non ſoli, verùm *Patriæq; Deoq;*
Sis natus, monſtrant *vox calamusq;* tuus,
Voce Deo ſervis, ſacra dum myſteria Verbi
Diſſeris, & planam pandis ad aſtra viam.
Sedulus & *calamo patriæ* prodeſſe laboras,
Dum promis magni Patria quicquid habet,
Ortus, progreſſus, cultus, venerandaq; ſacra,
Fines & regimen, fortia facta, fidem.
Nate *Deo, Patriæq;* tuæ, Plantine perite
Rerum, cœpiſti quo pede, perge modò.
Gloria finis erit, dicent uno ore nepotes:
Plantinum celebrem laus manet ampla virum.

Honoris & amicitiæ conciliandæ ergò poſuit

JOHANNES NICOLAUS, ſextæ Claſſ.
apud Bernates Præceptor.

Ad

V.

Ad Authorem, Virum pietate, virtute, & eruditione præstantem.

ELEGIDION.

SEdulò quæ multis conscripsit Stumpfius annis,
Stettlerusq; suis protulit historijs;
Et quæ præteritô quondam sunt tempore gesta
Arma per ac gentes Helvetiæ impavidas;
Antè quid Imperium juris, quid Duxq; Sabaudus,
Et Zerringensis, Gallus & Austriacus,
Burgundus comitesq; alij tenuêre tyranni,
Finibus in patrijs, Helveticóq; solô;
Moribus imbuti queis sint, quâ Relligione,
Quô cultu incedant, Helvetici Populi;
Unde suum nâcti CANTONES fœderis ortum,
Progressum pariter, concomitante Deo;
Hæc contracta refert PLANTINUS cuncta synopsî,
Ac trahit in lucem quæ latuêre diu.
Lector amice igitur PLANTINO dicito grates,
Et meritas laudes: Lector amice Vale.

Appositi celeri calamô crassâq;
Minervâ

JOH. HEN. ERNESTUS,
Archiota Bern.

VI.

IN CLAR. ET REVERENDI viri, Dn. Joh. Baptiſtæ Plantini hiſtoriam Helveticam.

Manè ſub auroram, nitidos cùm Cynthia vultus
Abſcondit, fugiuntq; citò venientibus aſtra
Solis equis, feſſos ſomnus complectitur artus:
Ecce, animum ſubijt ſpecies veneranda quietum.
In medio templi ſolio inſiſtebat eburno
Virtus, Romani pompas imitata triumphis:
Hanc decus, hanc niveis ambibat gloria pennis,
Sceptrum erat ex auro, librabat dextera lances,
Altera contextas gemmis auroq; coronas
Tendebat, paßimq; aderat ſub tegmine fani
Unda ſalutantum, & ſacros ſitiebat honores.
Virtutis petiêre fores Pietasq; Fidesq;,
Complexæ manibus ſanctum fidumq; clientem.
Ut ſtetere ante thronum, Pietas ſic ora reſolvit.
Hic eſt qui patriæ, quam nullus finiet annus,
Donavit vitam, moresq; ritusq; ſepultos
Pandit, lethæis herôas eximit undis
Helveticos, ſtupidiq; fugat mendacia vulgi.
Te per te, nomenq; tuum venerabile terris
Oramus, meritis ſi gratia lausq; refertur,
Huic lauri concede decus, ſacramq; coronam.
Annuit, & verbis Virtus reſpondit amicis:
Occiduas Rhodanus dum fluctus volvet ad oras,
Heſperium fulvâ littus ditabit arenâ

Erida-

Eridanus, Rhenusq, tuos Germania fines
Alluet extremos, frigusq, Erimantidos Ursa
Istri junget aquas, albis dum vestibus Alpes
Ornabit, Plantine tuas ad sidera laudes,
Si taceant homines, gelidarum murmur aquarum
Attollet liquidis voces germinantibus undis.

Appoſuit ſtudij amicitiæq;
ergò
D. GVILLIERMINUS SS. Mi-
niſterij candidatus C. H.

Au méme

SONNET.

TRavail digne d'envie, & d'immortalité,
Dont les riches tableaux, les parlantes images,
Dun outrageux oubli vangent l'antiquité,
Et L'Auguſte debris de nos anciens ouurages:
Tu fais parler l'airain, les marbres, les boſcages.
Et ſur un autel d'or plaçant la verite,
Tu la fais triomfer des ſiecles. & des aages.
Merveilles de jadis miracles effacés,
Dans ce pompeux tableau richement retracés?
Ah que vous me plaiſes: ceſte ſeconde vie
De nos braves Ayeux, leur cœur, pur franc & net,
Me charme me ſurprend, & mon ame eſt rauie,
De les voir triomfer dedans mon cabinet.

Par le méme G.

In

VII.

In Clarissimi Viri, D. Ioh. Bapt. Plantini Helvetiam antiquam & novam.

QUando Triumphator terrarum barbarus orbis
Regnorum terror, proles generosa Philippi
Præcipat Æaciden caput insuperabile bello,
Quòd laudem æternam, atq; potentis prælia dextræ,
Victricemq; animum versu describat Homerus:
Si se felicem Romani conditor orbis
Æstimat Æneas, doctâ quòd mente Maronem
Nactus erat, qui gesta canat, belloq; tonantem
Felicem dextram, & mentem pietate potentem:
Cur non Helveticæ exultes gens incola terræ
Tantum nacta Virum, primi qui temporis ortum,
Naturam, mores, populosas Marte cohortes,
Divisum imperium, tractus, montesq; fragosos,
Humentesquè lacus, & ranco murmure rivos,
Torrentesq; suo rabido qui flumine campos
Sternunt, atq; ruunt fata læta, boumquè labores;
Herbasquè, Helvetiis scribit populosquè propinquos;
Nec vos, ô colles, & rura virentia, nec vos
Arboreæ sylvæ, nec te Respublica magni
Neptuni omittit: Patriæ sic climata terræ
Phosphore grate tuo nimiùm splendore coruscant:
Sic sic Helvetiam plantas Plantine! Tuarum
Quis manuum, calamique satis celebrare laborem
Possit, & æquales unquam tibi solvere grates?
Aut qui pro meritis, & pro molimine tanto
Præmia digna ferat? Cœlum dum sydera pascet,
Semper honos, Plantine, tuus, laudesquè manebunt.

EMANUEL LUCIUS, Venerandæ
Theol. Stud.

Ad

VIII.

Ad Authorem.

GEsta virûm, mores antiquos, flumina, montes,
Plantas, jura, forum pandit & iste liber.
Inclyta Berna tuos quousq; alluet Arulas vos,
Frendente invidiâ, vivet & iste liber.

Debiti honoris & observantiæ
ergò apposuit:

BENIAMINUS MIMARDUS,
S. S. Theol. Stud.

HELVETIA ANTIQVA ET NOVA.

Proëmium.

Quamvis EUROPAM aliis mundi partibus magnitudine non anteponi certum sit, certum tamen est apud veteres recentioresq; Historicos & Geographos illas hanc incolarũ mutitudine, virtute & moribus, vivendi consuetudine, urbium pagorumq; frequentiâ, omnium rerum ad vitam commodè sustentandam necessariarum copiâ, præsigni deniq; cœli soliq; temperie multis intervallis superare. AFRICA olimunica ferè suâ Carthagine *superbivit. ASIA vix tribus urbibus* Babilone, Ninive & Hierosolymis *tumuit.* Cusco *PERUVIA,* Mexicoq; *NOVA HISPANIA celebrantur. Gloriatur verò EUROPA infinitarum penè urbium miraculis & commodis. Hæc revera, Imperatorum, Regum, Principumq; mater, laudatissimarum Rerumpublicarum genitrix, felicissimorum ingeniorum nutrix, ac tandem Christianæ religionis altrix sola meritò nominanda est.*

Atq; hæc & alia in Europæ laudem omnes Geographicarum historicarumq; rerum Scriptores canunt. HELVETIA etsi illius minima videatur portio,

& non multis nota, ſuis tamen laudibus non caret, imò non minimam illius gloriæ partem jure ſibi vendicat; Mitiore cœlo, & uberiore ſolo multis alijs provincijs gaudet: Non calore, ut Italia aut Hiſpania æſtuat; Non frigore, ut Provinciæ Septentrionales, riget. Vix ſive hominum robur & proceritatem, ſive militum fortitudinem & conſtantiam alibi æq; ut in HELVETIA reperias. Hanc tyrannidis flagrum, libertatis propugnaculum, fidelitatis ſpeculum, Martis officinam, juſtitiæ thronum, hoſpitalitatis azylum & injuſtè oppreſſorum perfugium nominare licet. In Europæ fere medio tanquam regina ſedet, & illius editiorem occupat locum. Hæc quaſi Mundi dorſo impoſita videtur, ut quæ tota fere præ cæteris Europæ partibus in altiſsimos montes attollatur. *Caſpar. Ens, Thes. apot. 49.* Hæc affinitatis multum cum ipſis terræ S. limitibus habet. Ut annotat *clariſs. D. Hottingerus, in Meth. Leg. hiſt. Helv. pag. 234.* Hæc altiſsimis & præruptis montibus, ac ſaxis aſpera multis lacubus ac ſtagnis interſecta, naturâ & ſitu undiquè munitiſsima eſt: *Ut habet idem Caſp. Ens.* Hæc montana & excelſa regio plurimorum totius Europæ fluviorum mater eſt, *ut ait Quadus in deſcrip. Helv. Apud enim Lepontios in ſummis montium jugis plures in omnem orbis plagam ruentes amnes oriuntur: Hinc fluunt in meridiem, Ticinus, Madia & Toſa; In ſeptentrionem Arola & Urſa; In orientem Rhenus, ſed qui in ſeptentrionem recurvatur: In occidentem Rhodanus, qui poſt longum curſum in meridiem*

diem flectitur: Olivar. in Melæ lib. 2. cap. 5. Epitom. Theat. Orthelij, &c. *Propriè verò oritur Rhenus anterior orientem versus, id est, Ost: Ursa, Nord-Ost: Arolæ fons existimatus, Nord-West: Rhodanus, Sud-West: Athosa, Sud: Media, Sud-Sud-Ost: Et tandem Ticinus, Sud-Ost versus: Ut observavit D. Gaudard. J. U. D.*

Quî fit ergo, quòd Helvetia nostra multis rebus clâra & illustris non multis sit nota, nec ab ullo plenè aut planè descripta? Hoc certè stupore non caret. Scripserunt & ex Helvetijs quidem nonnulli, in quorum operibus multa âdhuc desiderantur, aut saltem quorum opera (quoniam Helveticâ linguâ, multis incognitâ scripta sunt) non omnibus patent. Apud exteros Scriptores, multa ἄτοπα, ridicula & veritati contraria cernuntur. Historiæ etiam Helveticæ tàm universales; quàm particulares indignè à multis sive gentis odio sive ignorantiâ fuerunt tractatæ. Hotting. meth. leg. hist. Hel: p. 228. *Ejà faustis avibus & bono cum Deo in tam præclaro opere occupati, illi pro tenui nostro modulo manum admoveamus.*

CAPUT I.

Sub qua Europæ parte Helvetia antiquitus habita fuerit?

GEneralis Helvetiæ descriptionis opus aggressuri, illud hoc modo distinguemus, ut priùs de regione ipsa, postmodùm de regionis incolis locuturi simus. Circa ipsam regionem quædam in genere considerabimus & quidem; *1. Sub qua Europæ parte Helvetia fuerit habita? 2. Quænam fuerit ejus longitudo & latitudo? 3. Quænam ejus divisio? 4. Quænam illius qualitas?* Primam quæstionem hoc capite excutiemus.

Sicut pro temporum varietate Europa variè distincta & divisa, ita quoque Helvetia sub diversis provincijs ab Antiquis comprehensa fuit. Priùs tamen annotare juvat, incognitum fuisse Homeri & priscorum Græcorum tempore Europæ nomen; Ita ut *Hispani, Germani, Itali,* & quidquid Europa regionum continet, Celtarum nomine censerentur; Donec tandem facta regionum & populorum distinctione, unicuique regioni peculiare propriumquè inditum fuit nomen, veluti *Hispania, Germania, Italia, Britannia, Gallia,* cujus tamen maxima pars, scilicet Celtica, unà cum Germania nomen diutiùs retinuit. Sic strictiùs, Celtæ vocabulum sumptum fuit, ut ex Cæsare &

Stra-

(*) *Synoptica totius operis tabula.*

HELVETIÆ DESCRIPTIO EST

- vel generalis de
  - Regione ipsa, ubi Not.
    - Adjuncta quædam, circa quę varia quæruntur.
      1. Sub qua Europæ parte Helvetia antiquitus fuerit habita?
      2. Quænam fuerit ejus longitudo & latitudo?
      3. Quænam ejus divisio?
      4. Quæ qualitas?
    - Partes quæ conspicuę fiunt
      - Tum Terra, in qua nota
        - Montes & Sylvas.
          - Juram.
          - Alpes.
      - Tum aqua, ubi videri possunt
        - fontes.
        - fluvij.
        - lacus.
  - Regionis incolis, quorum videantur
    - In genere
      - Antiquitas & origo.
      - Varia nomina.
    - In specie
      - Lingua.
      - Mores
        - Privati quoad
          - corpus.
          - ingenium.
        - Publici conspiciũtur
          - vel in factis seu religione.
          - vel in prophanis seu extra religionem
            - In rebus & virtutibus politicis
            - Et in rebus belli cis.
- vel specialis de qua alibi.

CAP. I.

Strabone patet: Cæsar enim Gallias in tres partes dividit, *quarum unam* (inquit) *incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ Galli appellantur.* Universos quoquè Gallos à Græcis Celtas appellatos opinatur Strabo lib. IV. Sub his à Veteribus comprehensi sunt Helvetii: Cùm enim Cæsar Helvetios, *reliquos Gallos virtute præcedere*, dicat, Gallos exinde fuisse, satis colligere est. Testatur quoquè Tacitus lib. I. *Helvetios Gentem esse Gallicam.*

Cùm autem jam ante Julium Cæsarem Romani Galliam in *Braccatam*, (ita à cerro vestis genere dictam) & *Comatam* distinguerent, Helvetia sub hac intellecta est; Sic enim Sabellicus Enn. VI. lib. V. *Helvetij tenebant Galliæ Comatæ partem, quæ Rheno à Germania excluditur.*

Helvetiam sub Gallia Celtica à Cæsare comprehensam vidimus; Contrà Plinius sub Belgica collocat Lib. IV. cap. 17. In hac fere est sententia Ptolomæus, qui Belgicã seu Germaniam (ut loquitur Willichius in Tacitum) triplicem fecit, unam quidem inferiorem, quæ intra Mosam & Rhenum usq; ad Obrincam, id est, Mosellam, patet, ubi sunt *Menapij, Batavi, Agrippinenses, alijq; finitimi*; Alteram verò superiorem inter Obrincam & Rhenum usquè ad Juratsum montem, ubi sunt *Nemeti, Treviri, Raurici & Helvetij.* Tertiam nominat magnam, quæ quidquid terrarum intra Rhenum & Vistulam

ſtulam eſt, capit. Hæc opinionum diverſitas ex eo oritur, quòd Cæſar, Plinius & Ptolomæus in limitibus, qui modò reſtringuntur, modò extenduntur, non conveniant. *Vide Merulam part. 2. lib. 3. cap. 19. ſuæ Coſmographiæ.*

Augùſti porro temporibus, ut commodiùs Gallia gubernaretur, omnes in ſeptendecim provincias ab Auguſto diſtributæ ſunt Galliæ, ſicut in imperij occident. Roman. provinc. notitia recenſentur. *Helvetia* autem ſub provincia Lugdunenſi quinta, maximam partem habita eſt. Poſtea etiam pars una *Rhatiæ*, altera *Sequaniæ* eſt atributa. Ammian. Marcellinus Helvetiam *Alpium Grajarum & Penninarum* provinciæ adſcribere videtur, quando in hac Aventicum Helvetiorum caput recenſet. Tandem occupatâ maxima ex parte, à Vandalis Burgundionibus Helvetiâ, Germaniæ pars una, Burgundiæ altera tributa eſt: Burgundiæ enim Reges, eam quæ eſt inter Juram montem & Alpes, uſquè ad fl. Urſam, regionem occuparunt, quæ Burgundia minor & tranſiurana, Ducarus & Comitus reſpectu, vocabatur. Quod reliquum in Helvetia fuit, ſub Alemanniæ ducatu comprehendebatur. Hodie verò omnes penè Geographi, Helvetiam in ſuperiore Germania collocant, ſiquidem labente tempore linguam & originem à Germanis accepére, ſic enim Cluver. lib. 2. cap. 4. ant. Germ. *Helvetij Gallica licèt gens antiquitus fuerint,*

rint, intra Galliæ fines positi, tamen quia & ipsi olim Rhenum transgressi, proximos Germaniæ agros obsederunt, ac postremum Alemanni ex ipsa Germania profecti Helvetium agrum occuparunt, in Germania collocantur.

Hîc tamen aliqua distinctione opus est, non enim omnes Helvetij, moribus & lingua â Germanis similes sunt. Nam qui regionem, quæ vulgò Vaudi, (Vaulxij corruptè dixit Lambert. Wanderburchius in hist. Sabaud) & vicina loca incolunt, non minùs quàm reliqui Helvetij dicendi sunt, & si ab illis linguâ & moribus non parùm differant: Quod per transennam dictum esto, tum adversus quosdam Authores, tum contra eos, qui Vaudi incolas, Sabaudos per contemptum nominant. Quænam verò illa est consequentia? Regio Vaudi olim à Sabaudiæ Comitibus contra Imperij jura, usurpata fuit. Ergo illius incolæ sunt Sabaudi. Sed quis has morabitur ineptias? Certum ex Veterum monumentis Aventicum Helvetiorum caput, & celebriorem fuisse reliquis Helvetiæ partibus Aventicensem tractum: Quòd si à regione, quæ Helvetia nuncupatur, illius incolæ Helvetij nuncupentur, certè non minùs Vaudi incolæ quàm reliqui, pro Helvetijs sunt habendi, cùm eorum regio Helvetiæ pars fuerit. Sicut etiam Helvetia nominari & esse Helvetiá non desijt, quamvis Romanis Imperatoribus subjecta,

ita nec Regio Vaudi (*le Pays de Vaud*) ab Helvetia, tanquam à suo toto est divellenda, licèt olim per multos annos Sabaudiæ Comitibus paruerit.

CAPUT II.

De limitibus, longitudine & latitudine Helvetiæ.

CÆsar ut primus Helveticæ fortitudinis domitor, ita etiam, ut opinor, Helvetiæ fines primus descripsit, quamvis non ita accuratè, sic verò illo lib. 1. Bell. Gall. *Undique loci naturâ tuti Helvetij continentur, una ex parte flumine Rheno latißimo atquè altißimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit: altera ex parte monte Jura altißimo, qui est inter Sequanos & Helvetios: tertia Lacu Lemano & flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit.* Juxta hanc Cæsaris descriptionem Helvetia scuti formam refert, cujus pars inferior Rheni, Rhodaniq; fontes attingit, & caput seu pars superior per montem Juram extenditur; ut suis in Cæsar comment. Vigenereus annotat. Hanc descriptionem non omnino accuratam, aut saltem obscuram esse patet. Primò quòd non appareat, quosnam Helvetia ab oriente limites habuerit, aut quomodo à Rhætis separata fuerit? Quod enim legitur de Rheno

Helve-

Helvetios à Germanis dividente, id limites à septentrione tantùm respicere videtur, siquidem Germani Helvetijs essent septentrionales. Secundò incertum qua ratione Cæsar Helvetiam per Rhodanum limitare voluerit, cùm Vallesianos apud quos Rhodanus fluit, ab Helvetijs distinguat: nisi quis dicere velit; quidquid terrarum continetur intra Rhenum & Rhodanum ab ipsorum fontibus, Lacum Lemanum & Juram ad Helvetios pertinuisse, aut ipsorum saltem imperio paruisse.

Quoniam verò hodie longiùs latiùsque patet Helvetia (ab illa siquidem Cæsaris tempore Rauraci, *Rhæti & Vallesiani* excludebantur, & tantùm pro vicinis habebantur) eam sic generaliter describunt, aut circumscribunt Geographi. Helvetia sita est inter montem Juram, Lacum Genevensem, Italiam & Rhenum, ut loquitur Mercator; habens à septentrione Rhenum ab egressu Lacus Cellensis ad Rauracos usq; si paucula excipias: Ab oriente Sueviæ partem, Tyrolis comitatum, nec non partem aliquam ditionis Venetorum: A Meridie Bergomates, Mediolanenses & Salassos. Ab occidente Allobroges & Sequanos.

Obscurus fuit Cæsar in Helvetiæ limitum designatione, errat quoq; quorundam saltem judicio, in longitudinis & latitudinis descri-

ptione. Sic autem Cæsar. *Angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem millia passuum* CCXL. *in latitudinem* CLXXX. *patebant.* Quemadmodum verò multi Cæsarem erraſſe credunt, ita non deſunt, qui illum excuſent, inter quos maximè conſpicuus eſt Guillimannus lib. 1. Rer. Helver. his verbis. *Quantum ad longitudinem calculatio certa, nam à Stad, ſive ſtatione, ubi Helvetia incipit, ad clauſtra Rhodani, ubi ejus longitudo deſinit, numerantur milliaria Helvetica triginta, ex quibus unumquodque paſſuum Italicorum millia octo conficit, quæ ſi inter ſe compares, rationem numerumq́, exactum reperies: De latitudine res paulò implicatior, tamen ſi à montis Juræ culmine, ubi* la Verriere *dicitur, lineam ad culmen Grimſel, unde Arulæ ſcaturigo, maximaque Helvetiæ latitudo, producas, aut fallor, vel millia à Cæſare notata offendes.* Sed fallitur & fallit Guillimannus, Primò cùm dicit Helvetiam incipere à *Stat*; *Stat* enim vel potiùs Stad (quia portus) eſt extra Helvetiæ fines, trans Rhenum, à regione Inſulæ vulgò dictæ Maynou ad Lacum inferiorem Podamicum ſeu Conſtantienſem. Secundò non extendebatur olim ſicut nec hodie, ad Rhodani clauſtra, ſed tantùm ad Genevæ, in finibus Allobrogum, pontem qui ad Helvetios pertinebat. Tertiò maxima Helvetiæ latitudo eſt ab illo loco dicto, *la Verriere*, in monte Jura, non ad culmen *Grimſel.* ſed *S. Gottardi*, Helvetiam ab Italia ſeparantis.

rantis. Cluverius errorem apud Cæsarem utrobique esse asserit. Dicit enim longitudinem à Constantia ad Genevam esse tantùm CLXXII m. p. latitudinem maximam inter Arolam, & Rheni Rhodaniq; ortus LXVIII. m. p. Mirum autem non est, Cæsarem bellicis occupatum negotijs non exactè hoc cognovisse, sed tantùm ex alijs retulisse, cùm illum Helvetiam peragrasse non legamus: imò Pollio Asinius commentarios ejus, parùm diligenter, & non integrâ veritate compositos putat: Verisimile quoque est, 1. Cæsarem fortiorem belli Ducem, quàm bonum Geographum fuisse. 2. numeros apud ipsum librariorum incuriâ corruptos, aut saltem discrepantium opinionum causam, non in Cæsare esse, sed in authoribus, inter quos non convenit & quot passuum millibus, unumquodque Helveticum milliare constare debeat.

Iacet autem Helvetia secundùm quosdam, sub climate octavo, & parallelis decimo quinto & decimo sexto. Latitudo ejus, seu Poli elevatio incipit à quadragesimo quinto gradu & triginta minutis, ad gradum XLVII. & 30. minut. Longitudo non ita certa ob diversum Geographorum calculum, illam tamen, juxta quosdam, inter XXVIII. & XXXII. grad. aut circiter, collocamus. Dies maximus, à solis ortu ad occasum in

Helve-

Helvetia est quindecim & sedecim hotarum. Hic verò etiam Vallesianos & Rhætos comprehendo.

CAPUT III.

De Helvetiæ divisione.

OMnium Authorum primus Cæsar de Helvetiæ distributione verba fecit, lib. 1. Bell. gall. *Omnis* (inquit) *civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est.* Duo hic occurrunt vocabula, quorum explicatio necessaria est; 1. vox Civitatis; 2. vox Pagi.

Variè à variis, *Civitatis*, etymologia proponitur; Martinus, illam à cio, id est, voco, deducit, ut *civitas* sit cœtus ad unum locũ convocatus. Perottus à *coeundo* derivat, quòd vinculo quodam societatis in unum cœtum coeant sic nihil aliud est civitas, quàm collecta hominum eodem jure viventiũ multitudo. *Cluver. lib. cap. 13.* Alijs placet deductam vocem, à *coeo & vivo*, quia coeuntes in unum homines vivunt, ut tutior & ornatior sit communis vita, ut vult Isidorus, juxta *hoc videtur Aristoteles civitatem definivisse, societatem liberorum hominum benè beatèq; vivendi gratiâ constitutam.* Nihil autem aliud per Helvetiæ civitatem, quàm Helvetiorum Rempublicam intellexit Cæsar.

In

In vocis quoque, *Pagi*, etymologiam variè inquirunt Authores. Festus Pagum deducit à græco πηγὴ, aut παγὰ, doricè, id est, fons, scaturigo, quòd qui ejusdem essent pagi, eadem aqua uterentur, unde fluxit illa Glareani divisio, de qua postea.

Alij derivant à πάγος, id est collis, quòd pagi in collibus exstructi essent. Rectiùs Simlerus MSC. qui pagum dicit à pango, unde pactum, quia oppida & vici certis pactis sociarentur, & eodem foro uterentur. Intelligit autem Cæsar per pagum ampliorem regionis alicujus portionem, quam Germani per vocem Göuw aut Gew exprimunt. Hodie verò *Pagus* regionis alicujus tractum vel districtum denotat, quem vulgò Cantonem nominamus.

Quinam autem fuerint illi pagi, non dixit Cæsar, duos solùm nominat, nempe *Tigurinum & Verbigenum*, duos alios reticuit: de his quoque apud alios veteres Scriptores altum silentium; eos itaque recentiores variè supplent & de illis quoque inter se variè disceptant.

Glareanus, Osualdus Molitor Glareani commentator, Vigenereus & alij, secundùm quatuor celebriora Helvetiæ flumina, *Taurum, Limagum, Ursam & Arulam*, quatuor Helvetiorum pagos constituunt, sed hanc opinionem meritò rejciunt Simlerus MSC. & Guil-

liman-

limannus, nec firma est conjectura ab illâ etymologia, de qua suprà, petita: Legimus enim Suevos centum pagos, sed non centum fluvios habuisse.

Tschudus, Simlerus, Guillimannus & alij pagos nominant, & hoc modo distinguunt. Primus pagus *Tigurinus* vocatur, complectebatur verò Tigurinos hodiernos, Tuginos, Uranios, Glaronenses, Abbatiscellanos, itemq; S. Gallum, Rupertivillam, terminos Toggemburgenses & eam universam regionem, quæ circa Podamicũ est & Rhenum, antiquumq; nomen Turgovv retinuit nomen, ut ait Guilliman, lib. 1. Rer. Helv.

Secundus *Urbigenus* (corruptè Verbigenus) pagus fuit, unde nomen Argõvv; quidam hunc pagum (ineptè tamen) ab *Ur* aut *Urgovv* propè Rhenum denominari crediderunt: comprehendebat pagus iste comitatus *Lentzpurgiorum, Aquensium, Habspurgiorum, reliquamq; Argoviam.*

Tertius Aventicensis, eum comprehendebat tractum, in quo sunt comitatus *Neocomensis, Nidoviensis, Straßbergensis, Arbergensis, Romontiensis, & Gruerensis.*

Quartus *Antuatius* complectebatur utrumq; *Lemani* latus, à S. Mauritio ad Genevam usq;.

Hæc pagorum distinctio, quamvis doctorum virorum sit, varijs tamen erroribus insimulari potest. Primò *Tigurinus* pagus nimiùm

mium extenditur extra Limagum: annotat Simlerus Stumpfium pagum *Tauriacum* à *Tigurino* malè separare, posse ejusdem pagi subdivisionem fieri, quod ex varijs diplomatibus ostendi posse ait. Secundò *Argoviam* ab Urbigeno derivare ineptum (quod illorum pace dixerim) & nodus in scirpo quæritur, cum in oppido Urba pagi Urbigeni præclarum extet vestigium. Tertiò malè distinguitur *Urbigenus* ab Aventicensi, cùm hic illius sit portio; imò credunt nonnulli, *Urbam* priùs illius pagi fuisse caput, cui postea successerit Aventicum. Quartò non appositè *Antuatius* nominatur ultimus pagus: *Antuates* enim intet Helvetios non ponit Cæsar; quòd trans lacum erat *Allobrogibus* tributum, qui lacu ab Helvetijs dividebantur. Magis autem probatur Cluverij sententia: is lib. 2. ant. Germ. cap. 4. quatuor Helvetiæ pagorum descriptionem colligit ex Cimbrorum in expeditione Italica socijs, de quibus Eutropius lib. 5. *Cimbri, Teutones, Tigurini, Ambrones, Germanorum & Gallorum gentes, &c.* Certum verò est *Cimbros & Teutones*, Germanos fuisse: *Tigurinos, Ambrones, & Tugenos*, de quibus apud alios historicos, suppeditavit Helvetia. Sunt ergo hi secundùm Cluverium pagi: *Tigurinus, Tugenus, Ambronicus & Urbigenus.*

Tigurini inclusi erant Rheno ac Limago, & exigua Juræ montis parte, ex adverso confluen-

fluentium Arolæ & Limagi. Sabellicus de Tigurinis à Cæsare cæsis loquens, sic ait, Enn. 6. lib. 5. *Pagus qui tum cæsus est Turinus* (vitiosè pro Tigurinus) *nominabatur, nunc Turegus est, ut quidam arbitrantur.* Tigurinos propè Oceanum fuisse asserit Florus, sed malè & solus est, qui hoc dicat; vide Cluver. suprà citato loco.

Tugeni, aut Toygeni, ut pronuntiat Strabo lib. 4. vel *Tugini,* ut frequentiùs hodiè pronuntiatur, Limago & Ursa, montiumquè jugo inter horum fluminum fontes sitò concluſi erant; manet adhuc horum nomen in oppido Tugio, vulgò Zug.

Ambrones; (Martino Polono *Ambronates,*) Sana, Arola, Ursa fluvijs, & Alpibus includebantur; Dictos ita conijcit Cluverius à fluvio vulgò dicto Emme, medium agrum Ambronicum secante, à quo populi patrio sermone appellati, *thi Ammeron,* quod vocabulum Romani, B. interjecto fecere *Ambrones,* quasi *Ammerones.* Festus Grammaticus, sed non ita bonus historicus de *Ambronibus* ita loquitur referente Zuinggero theat. lib. 19. *Ambrones Galliæ populi, cùm subita maris inundatione sedes suas amisissent, animum rapinis adjecerunt & latrocinijs, &c.* Festi verò errores vidè apud Cluver. lib. 2. cap. 4. ant. Germ.

Urbigeni hos habebant fines, ab occidente æstivo Juram montem & Genevam ad fontes

urſquè

usque Byrsæ amnis, à meridie totam dextram Lemani ripam; ab oriente fl. Sanam & Arolam ad Tilæ, vel potiùs Telæ (ut ex actis annotat D. Hermannus Comiss. General. Bern) usq; confluentem: ex istius nominis reliquijs restant oppidum & flu. Urba, qua de re jam monuimus, ut & de vitiosa quorundam pronuntiantium, *Verbigenus* pro *Urbigenus*, lectione: multa Cæsaris exemplaria hac in parte corrupta esse censent Rhenanus & Cluverius. Sequioribus verò sæculis, cùm *Helvetia* in Imperatorum aliorumq; Regum potestatem cederet, pars una, modò Rhætiæ, modò Germaniæ, pars altera Sequaniæ & Burgundiæ attributa est, ut jam cap. 1. ostensum. Hodie Helvetia à plerisquè Geographis in quatuor partes aut tractus (Germanis Gew dictos) distinguitur videlicet in tractum *Aventicensem* (vulgò Wifflisburgergöw) *Argoviensem* (Aargöw vel Ergöw) *Tigurinum* (Zürichgöw) & *Turgoviensem*, vulgò Turgöw.

Simlerianam Helvetiæ divisionem hoc typo adumbravimus, & ex D. Hottingero amplificavimus.

CAPUT IV.

De Helvetiæ qualitate.

SEquitur nunc, ut hoc capite, ſecundùm eam, quâ nobis propoſuimus, methodum de Helvetiæ qualitate agamus, de qua locuturis diſtinguenda ſunt loca. Helvetia enim partim montibus, partim vallibus, partim etiam locis planis conſtat. Montana loca quod attinet, non eadem eſt ubique fœcunditas: *Summa enim Alpium juga*, ut ait Polyb. lib. 2. *tum propter locorum aſperitatem, tum quia nives altæ premunt terram gelu, & perpetuo penè rigore conſtrictæ, tantùm abeſt, ut ab hominibus colantur, ut nullum quidem veſtigium extet hominum.* Sed audiendus quoque Strabo lib. 4. *Per tota Alpium montana tumuli ſunt terreſtres, bonæ capaces culturæ, & valles bene conditæ, major tamen pars, maximè circa vertices ſterilis eſt & infrugifera, ob artis colendi imperitiam* (quod de antiquis intelligendum) *& ob aſperitatem terræ.* Quamvis ergo maximam partem Helvetia montoſa ſit, non tamen propterea ſterilis omnino cenſenda eſt: videntur quidem montes eſſe naturæ verrucæ & tubera, ubera tamen ſunt fluentia lacte, neque ſuis carent commodis. Abundant armentis nullibi majoribus, variisq; generis feratum & volucrium carnibus: vix alibi tantam optimi butyri & caſei copiam, quantam

in

(**) TABELLA DE HELVETIÆ DIVISIONE.

Tribus hodie partibus universa constat HELVETIA

- Primò XIII. Populis, quos Galli & Itali Cantones, Germani Orthi pagos nonnulli vertunt, Hi in unam civitatem perpetuo conveniunt fœdere: quorum ordo est
  - Vel dignitatis & authoritatis, prout in comitiis Badensibus sedent, hoc modo, Tigurum, Berna, Lucerna, Una, Suitia, Undervaldia, Tugium, Glaronа, Basilea, Fryburgum, Salodorum, Scaphusia & Abbatiscella.
  - Vel temporis, quo unusquisque pagus fœderatus factus fuit
    1. URIA, SVITIA, UNDERVALDIA, debellatus Morgatensi prælio Austriacis æternum inierunt fœdus A C 1315
    2. LUCERNATES fœdus cum superioribus percusserunt. A. C. 1332.
    3. TIGURINI cum Glaronensibus in fœdus recepti A. C. 1351.
    4. BERNENSES eodem anno quo TUGENI, nempe 1352. secundùm Simlerum, aut 1353 juxta Hottingerum.
    5. FRYBURGENSES & SALODORENSES A. C. 1481. post exactum bellum Burgundicum.
    6. BASILIENSES & SCAPHUSIANI A. C. 1501. confecto bello Suevico.
    7. ABBATISCELLANI. A C. 1513
- Secundò Superiorum socius & confœderatus, quorum
  - Quidam fœdus habent commune cum maxima Helvetiorum parte. ut
    - ABBAS Sangallensis Tigurinos, Lucernates, Suitios, & Glaronenses perpetuo jure libertatis defensores, & Cœnobij advocatos instituit A C 1451
    - SANGALLIUM oppidum Tigurinis, Bernensibus, Lucernatibus, Suitis, Tugensis & Glaronensibus sit fœderatum. A. C 1454.
    - RHÆTORUM fœdus supernis seu Canum A C. 1497 & fœdus Domus Dei 1498 septem pagis priorибus
    - VALLESIANI & eorum Episcopus æterno συμμαχίας fœdere juncti fuerunt 1 Bernensibus, 1475. 2 Cum VII. Pagis religioni Romanæ tantùm addictis, anno 1533.
    - MULHAUSIUM primum habuit, cum Helvetius societatem circa A C 1464 2, A C 1506 jus civitatis à Basilienſibus accepit. 3 cum XIII Pagis fœdus init circa A. 1575 4 Hodie reformatarū quamot civitatū fœdere potissimùm gaudet.
  - Quidam speciale tantum fœd⁹ habent cum quibusdam pagis.
    - BERNENSES, Bernensibus primo fœdere conglutinati sunt. A C. 1303 & postea iterum aliquoties, usq, dum tandem A C, 1367 civitatis jure uti inq, coaluerunt, ut ait D Hottinger
    - NEOCOMENSIS antehac Bernensibus, Lucernatibus, Fryburgensibus & Salodorensibus certis pactis conjungebantur, hodie peculiariter Bernensibus obstringuntur.
    - GENEVA primò fœdus cum Fryburgensibus percussit. A 1509. Secundò cum Bernatibus A 1525 & 1526. Tertiò cum Tigurinis, A. 1584.
- Tertiò Præfecturis Helvetiorum imperio subjectis, quæ sic distingui possunt, ut
  - Aliæ sint, quæ communiter, quamvis non semper eodē jure, à majori Cantonū parte reguntur, sintque positæ,
    - Vel intra Helvetiæ limites
      - Comitatus tres
        - AQUENSIS seu Badensis VIII. veteribus pagis paret.
        - THURGOVIENSIS, VII veteribus, additis Bernensibus, Fryburgensibus & Salodorensibus, quoad supremam in criminalibus jurisdictionem.
        - SARUNEGAUNENSIS (vulgò Sargans) VII veteribus pagis subjicitur
      - LIBERÆ PROVINCIÆ (vulgo die freyen ämpter) à septem vetustioribus Cantonibus reguntur Sicut etiam
      - RHEGUSCA (vulgò Vallis Rhēni, Rheinthal) additis tamen Abbatiscellanis prius illius Domus
    - Vel extra Helvetiā, in Italia & sunt 4. omnib. pagis (excepto Abbatiscellanis) subditæ, sed. præfecturæ.
      - LUGANENSIS
      - LOCARNENSIS
      - MENDRISIANA
      - VALLIS MADIÆ.

      Dono Maximiliani Sforziæ Mediolanensium Ducis, Helvetius, quòd eorum operâ & armis Mediolanensem Ducatum recuperasset, concessæ
  - Aliæ verò quæ à quibusdam tantùm.
    - A Suitis & Glaronensibus, Uzenacum & Castra Rhætica, vulgò Gasteten.
    - Ab Uranis Suitis & Undervaldensibus.
      - Ubis Bilitonum, vel Bellizonium, vulgò Bellinzona.
      - Vallis Bruna
      - Riviera.
    - A Bernensibus & Fryburgensibus, 4.
      - Murantum.
      - Grandisonum.
      - Eschalenum & Uiba.
      - Schvvartzenburgum, non est in toto indivisum, sicut cæteræ tres præfecturæ præcedentes, quia Superioritas, Appellationes, jus criminale, constitutio legum & alia regalia insolide ad Bernates spectant, ut monet D. Herman. B.

CAP. IV.

in Helvetiæ montibus reperias. Loquitur Plinius lib. XI. cap. 42. de diversis caseorum generibus, qui suo tempore ex Alpibus asserebantur, & aliquo erant in pretio; sed hodie Helveria omnes, in caseorum copia, bonitate & diversitate regiones superat: Etsi igitur non multa terræ semina mandent Helvetij montani, unde tamen viuant commodè, satis habent: Sic enim Quadus ait. *Helvetij armentis abundant, unde ipsis annonæ facilitas, quam augent venatio frequens, aucupium singulare, piscatio ditissima, &c.* Imò suos caseos vicinis suis communicant, maximè Grueriani, qui artem caseariam apud Lugdunenses exercenr. Qualis sit Helvericorum montium proventus, ostendit Osvaldus Molitor in paneg. Glar. postquam enim mentionem fecit pinguissimorum Alpium, pratorum, & armentorum per tres menses in illis pascentium, addit; *Serum inde, caseus, butyrum, aliaq; lactaria tantâ fiunt copiâ, ut non tam Helvetia ijs rebus expleatur, quàm finitimæ quæque nationes. Transvehuntur namq; in Sueviam, ultra Iuram montem, in Italiam, multaq; alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi possit. Illud mihi compertum ex viginti bobus fructum annuum esse centum coronatorum, præter sumptum omnem, quem in familiam, famulos & famulas distribueris. Omitto fœturam copiosissimam, lac & liquidum & concretum, quæque ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum usum.*

Quamvis autem Cæsar Helvetiæ agrorum tribuat bonitatem, olim tamen non ita, ut hodie cultam fuisse credibile est: Helvetiorum enim hodiernorum improbus labor omnem terræ sterilitatem vincit, obsita fermè maxima istius regionis pars sylvis quondam fuit; rariores hodie sunt: quinetiam incolę in illis, multis in locis, evellendis laborant atq; ligna arida & cespites comburunt, unde fœcundum fit solum.

Sicut Helvetiæ plana agris frumenti, siliginis, hordei, avenæ, pisorum, fabarum, &c. feracibus, & pratis herbas magna luxurie producentibus ornantur; ita colles vineta plurimis in locis habent, nullibi vini magis feracia quod alicubi generosum satis est, maximam tamen partem austerum; sed de his opportunius in speciali locorum descriptione. Annotare tantùm juvat opinionem illorum, qui ad *Probi* usq; tempora in *Gallia Braccata*, non in cæteris Gallijs vitem solùm fuisse putant; sed hoc Plinij, de varijs Galliæ vitibus, inter alias de Rhæticis, loquentis testimonio refutatur. Sua quidem ætate Diodorus in Gallia Comata nullum nasci vinum solere affirmat. Cæsar lib. 4. belli gal. Suevos Germaniæ, Nervijs Galliæ temperantiâ pares facit. *Vinum (inquit) ad se omnino importari non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum remolescere homines atque effeminari arbitrarentur.* Unde ergo

de ergo in Gallias, Helvetiam, Germaniamq; vites adductæ? Certè ut Italia ex Græcia vites habuit, ita ex Italia reliquæ Europæ regiones habuerunt, si solam excipias Hispaniam: imò si Plinio credimus lib. XII. cap. 1. Elico Helvetius faber ex Italia primus in Galliam ficus siccas, & uvas, oleum ac vinum attulit; atque hæc prima fuit occasio invadendi Italiam Gallis & Helvetijs oblata, ut vult idem Plinius.

Varios quinetiam fructus Helveticum solum producit, non quidem mala medica, limonia, Assyria aut Aurantia, neque olivas, &c. Sed cotonea, persica, armeniaca, imò & punica aliaque diversi generis, ut & pyra, mespila, cerasa, amarylla, pruna, amygdala, nuces auellanas, castaneas, corna, glandes, &c. nec non etiam cucumeres, melones, cucurbitas, rapa, pastinacas, raphanos, brassicas, crambas, cepas, allia, &c. Quibusdam in locis etiam ficus & crocum.

Metalla quod attinet, ijs prorsus non caret Helvetia, non aurum aut argentum fert, ut quædam aliæ Europæ regiones, ferri fodinas habet, cujus quidem maximus est in natura usus, de quibusdam Vallesiæ fodinis vide *Munst. lib. 3.* Nihil hic dicturi sumus de feris noxijs, Ursis, Lupis, Vulpibus, &c. Nihil de venatione cervorum, leporum, aprorum, capreārum, &c. Nihil de aucupio perdicum, co-

thurnicum, turdorum, alaudarum, phasianorum, otidum, &c. Nihil de piscatione Trutarum, carpionum, percarum, anguillarum, salmonum, tincarum, cancrorum, &c.

Quibusdam ventis obnoxia est Helvetia maximè occidentalibus & septentrionalibus, qui quandoque maxima cum vi, arborum eradicatione, & ædificiorum ruinâ bacchantur, sicut apparuit anno hujus sæculi quadragesimo quinto; VII. Id. Sept. Admirandum quoddam de quodam vento refert Frey. D. M. in admir. Gall. his verbis cap. 9.

Ventus meridionalis in minore Burgundia, qua jam Helvetia est præsertim Uranensibus: omnia siccat & serenat (quod Austro non est familiare) vel una nocte viriditatem arboribus affert, uvis verò maturitatem colore mutato; aliquando summos tantùm perflat montium apices, ita ut omnia vernent, dum valles nivibus sunt oppletissimæ: eo furore spirat, ut tecta ædibus auferat integra: Nemo interea excitat ignem, quia fumis nullum permittit egressum.

Præcipuè verò venti septentrionales ordinarij sunt, unde hyberno tempore frigida satis est Helvetia, sed aëre puro & salubri, si paludosa quædam excipias loca, gaudet: unde propterea optimis Europæ regionibus adcensenda; quare mirũ non est, eam esse fertilissimam hominum genitricem: quanta enim hominum multitudine ipsa terra semper abundaverit, ex eo colligere licet, quòd antiquis-

simis

simis temporibus, non ob agrorum sterilitatem, sed propter terrarum angustias Helvetij in Germanicum solum sint transgressi. Deinde etiam cùm Cimbrico bello, duorum pagorum incolæ excisi fuissent; tamen quadraginta non amplius annis pòst, in tantum rursus excreverunt numerum, ut pro hominum multitudine, teste Cæsare, & pro belli atque fortitudinis gloria, angustos se habere fines arbitrarentur, ideoq; ad occupandum totius Galliæ Celticæ imperium suis finibus exirent. Superioribus quoque sæculis cùm inter Gallos & Hispanos ob Mediolanensem Ducatum lis esset, Helvetij modò ad triginta, modò ad quadraginta millium numerum in Italiam non semel descenderunt, ut testantur Jovij & Guicciardini Italorum historiæ: imò, ut supputavit quidam, Italia ab anno Christi 1494. ad 1523. ex sola Helvetia & confœderatis vicinis, subsidiarios habuit milites 137000. quorum non pauci fame, ferro, peste interierunt; referente D. Hottingero. In his denique ultimis bellis maximus fuit in Gallijs numerus eorum.

CAPUT V.

De monte Jura.

Quædam in genere de regionis adjunctis vidimus: succedunt partes, cùm

terra, tum aqua, ibi montes & sylvæ, hic fontes, fluvij & lacus.

Quoniam verò Helveria altissima est totius Europæ regio, exinde eam inter montes sitam constat: & revera montosa magis est quàm plana: inter celeberrimos autem totâ Europâ, montes sunt, Iura & Alpes, quos Helvetia maximam sibi partem vendicat. De Iura hoc capite agemus. Hujus Cæsar, Plinius varijs locis, alijq; quamplurimi scriptores meminerunt. A Ptolomæo *Ἰουρασσος*; à Strabone lib. 4. *Ἰουράσιος* & *Ἴουρας*; ab alijs communiter Iura nominatur. Hodie pro locorum ratione accolis alijs atq; alijs nominibus designatur, uti videbimus.

Quæritur, utrum Germaniæ an Galliæ mons sit censendus? Respondet Merula part. 2. lib. 3. cap. 4. Olim ferè totus Galliæ, cùm Belgicæ accenseretur Helvetia, magna hodie ex parte Germaniæ. Cæsar lib. 1. illum *inter Sequanos & Helvetios*, Strabo lib. 4. *in Sequanis esse Iuram*, qui eos ab Helvetijs distinguat, affirmant. Nos hodie suæ longitudinis respectu totum ferè Helvetiæ tribuimus. Porrigitur enim ejus longitudo ab oppido Vualtshuto, in Raucorum finibus, ubi è regione Vualtshuti Arola se Rheno miscet, ad Rhodani Clusam usq;, non procul à Geneva, ubi illius desinit longitudo, quæ ejusmodi fuit, ut illius incolæ, referente *Mercatore*, à Germanis *Longimani* dicti fuerint.

Alij

Alij volunt montem Iuram incipere in Pago Tigurino apud oppidum Regenſperg / & inde ſub nomine Lägerberg per obliquum tractum Baden verſus, Dägerfelden / Klingnaw & Waldshut uſq; pertingere : ut annot. D. *Hulderici* præſtantiſſ. Tigurinorum Antiſtes.

Ut longus eſt hic mons, ita quoq; altus, multis & ingentibus ſaxis ſubnixus, imò altiſsimum vocat Cæſar lib. 1. non tamen ubiq; æqualis altitudo, pro varia enim locorum ratione, modò hic deprimitur, modò alibi attollitur. Sic S. Claudij oppidum verſus ejus altitudo, è longinquo ſatis cernitur. Sic brachium, quod ſe Baſileam verſus extendit & *Blouuen* dicitur, non parum in altitudine & aſperitate creſcit, quouſq; Delſpergum veneris, ubi rurſus in planitiem diducitur: ulteriùs Bellelæ monaſterium verſus progrediendo rurſus creſcit, ac deinde iterum unius milliarij ſpatio evaneſcit: hinc iterum ſaxoſum horrendumq; montis jugum ab oriente in occaſum extenditur, quod pervium feciſſe Cæſarem Munſterus ſcribit lib. 3. Varia, uti jam annotavimus, pro locorum diverſitate accipit nomina. Haud procul arce *Habſpurgenſi* propè oppidum Brut / Bötzberg / audit à pago Bötzen / qui cum alijs multis, montis pedi allocatus eſt. *Munſt. lib. 3.* Malum montem dictum volunt quidam, quòd difficilis ſatis ſit,

præsertim pluvio tempore, ut annotat *Simler MSC.* Hanc Iuræ portionem *Vocetum, vel Vocetium* Cornelij Taciti censent *Munsterus, Tschud, Lazius, Wurstisius, Marlianus* & alij. *Abrahamus* tamen *Ortelius* apud Tacitum *Vogesum* legendum minimè dubitat, sed erroneam esse sententiam vult Cluverius, qui asserit Vogesum, aut (ut ille pronuntiat) *Vosegum* montem esse in *Lingonum* finibus, à quo *Mosa* fluvius profluit; quod jam ante Cluverium sensit Marlianus, Cæs. lib. 4. Propè *Farspurgum* appellatur *Schaffmat*, id est ovium pratum, inter *Olten & Humburgensem* præfecturam, dicitur *Niderhavvenstein*, id est, inferior sectus lapis, per saxa enim iter factum est; inter *Vualnburgum & Balstallium Oberhavvenstein*, id est, superior sectus lapis: ibi onusti currus grandibus per montis declivitatem, funibus demittuntur. Occasum versus procedendo nuncupatur *Passerfald*, id est, aquæ ruina. Ulteriùs eundo, *Iurten*, prisco fere nomine appellatur; Multis quoq; in locis ab oppidis & pagis nomen sumit, vel etiam peculiaribus insignitur nominibus, quę omnia referre nimis longum esset, imò non ita cuivis possibile: In præfectura Yuerdunensi est quoddam montis cacumen, dictum vulgò *Souchet*, ubi medicales herbæ nascuntur. In præfectura Nevidunensi est alius altus satis mons, communiter *la Dolaz*. S. Claudij oppidum versùs vocantur

S. Clau-

S. Claudij montes, qui longè lateq; satis patent, & ad Rhodanum tandem terminantur.

Porrò hic mons Jura fertilis satis est & pascuus, diversas & populis frequentes habens valles, quarum tamen nulla per transversum penetrat, ubicunquè enim traijcere volueris, alta scansione opus est. Illustriores valles sunt, *Fricktal*, in Vocetio à pago cognomine; *Lauffental*: *S. Immerstal*, vulgò *S. Imie*, cujus superioritas ad Episcopum Basileensem pertinet. Variæ quoquè sunt sub *Neocomensi* Comitatu valles, nec ultimas tenet *Vallangin* Comitatus distinctus & separatus à Neocomensi, à quo dependent, *Vaulx de Ruz*, *le Locle*, *la Sagne*, *les Brenets & Chaudefond*; sicut monet D. Herman. Sub comitatu Neocomensi est inter alias non contemnenda illa, quæ vulgò dicitur *Vaulx Travers*. Sub Bernatum dominio jacent communiter dictæ, *la S. Croix*, aut S. Crucis; vallis *Jurienſis* (*Gallis*, *de Joux*) item vallis *Cletarum* (*aut és Cleés*) & vallis *Orbæ* (*Vallorbe*)

Admirandis quoq; non caret mons Jura, quædam refert Mercator; ut sunt *Virginis castrum*, à Cæsare, ut perhibent, constructum. *Fons Nivis* in æstate; *Puteus naturalis*, ad mediocris templi formam amplus, non multùm altus, alicujus antri instar obscurus, perpetuò nivibus, glacie, fortean cristallo plenus. Indicat quoq; Plinius in Jura & Vocetio, *abietem*

ietem & betulam laudatissimam crescere, unde bitumen incolæ faciant; lib. XVI. c. 18. referente Merula; ad Plinij locum quod attinet, certum quidem est, maximas & bonæ notæ abietes in Jura crescere, quibus ad rem nauticam usi fuerint Romani, ut ex quibusdam inscriptionibus Rom. suo apparebit loco. Crescit quoq; Betula (aut Betulla, ut in quibusdam Plinij exemplaribus se legisse testatur Dodoneus Pempt. 6. lib. 4.) in Jura monte, ut & per universam ferè Helvetiam; sed hoc nõ dicit Plinius peculiariter, ut refert Merula; lib. enim supra citato. XV. XVI. & cap. 18. Gallicam arborem facit mirabili candore atq; tenuitate, terribilem Magistratuum virgis: quod verò Plinius ait ex hac arbore Gallos facere bitumen seu viscum, ego illud nunquam vidi aut audivi; aut illa conficiendi ex Betula visci, ars hodie ignoratur, aut erravit Plinius accipiens betulam pro aliqua alia planta, dum ei tribuit viscum, qui conficitur; vel ex baccis, visci arborei, græcis ἰξὸς & ἴξια dicti. Dodon. Pempt. 6. lib. 4. cap. 3. Matthiol. in Dioscor. lib. 4. cap. 87. hoc glutini genere maximè utuntur Florentini, teste eodem Matthiolo: Vel ex cortice Agrifolij, ut ex Ruellio refert Dodon. Pempt. 6. lib. 1. cap. 20. quo utuntur maximè Galli & Helvetij apud quos Agrifolium est cõmune. Vel tandem ex cortice Lantanæ seu Viburni (fruticis in Helvetia

tia vulgaris) radicis, aliquandiu ſub terra macerato, ac decocto & tuſo, teſte eodem Dodon. Pemp. VI. lib. 2. cap. 21. Sed ad montem Juram redeamus. Tanta eſt varijs in hujus montis locis, avellanarum copia, ob frequentes corylos, ut omnem penè fidem ſuperare videatur, ex illarum enim nucleis, incolæ oleum ad uſus domeſticos conficiunt. Taxum quoq; in Jura creſcere aſſerit Munſt. lib. 3. ex qua fiant arcus, & arcubaliſtæ, quæq; ab Anglis hanc ob cauſam quæratur. Hanc arborem venenoſæ facultatis eſſe vult Galen. lib. 8. ſimp. med. Dioſcorides lib. 4. & Plinius lib. 16. cap. 10. illius umbram noxiam, imò quandoq; lethiferam eſſe dicunt: In Iura tamen minùs pernitioſa eſt, & ejus umbra periculo caret. Conſiderationem etiam meretur admirandus ſi. Orbæ & ex lacu Iurienſi (à monte Iura haud dubiè denominati, & in illo quoq; ſiti) exitus, ut rectè monet D. Herman. cùm enim ex illo lacu hic fluvius per ſubterraneos meatus & cavernas effluat, ita ut non appareat, tandē poſt longum ſatis intervallum & ſpatium ex rupe erumpit non longè à pago dicto *Vallorbe.*

Indicavimus jam ſupra, in Iura, montis eſſe jugum, quod pervium feciſſe Cæſarem ſcribit *Munſter.* perforato in portæ formam ſaxo: de hoc aliquid ex *Munſtero* accurato illius deſcriptore dicendum. Portam illam, vel *Petræ portam, pierreport* vel *Petram pertuſam, Pierre pertuis,* com-

communiter nominant: longitudinem & altitudinem mensuravit idem *Munsterus* referens supra portam inscriptos hos versus.

Numinis Augusti viâ ducta per ardua montis.
Feliciter petram scindens in margine fontis.

Vel ut alij referunt

Nimis angusta via ducta per ardua montis.
Fecit iter scindens petram in margine fontis.

Hos verò versus carpit *Guillim.* qui malè compositos dicit ex inscriptione, quam sic refert. *de reb. Helv. p. 38.*

NVMINI AVGVS
TORVM
VIA FACTA PER
---V---R--IVM PATERNVM
II VIRVM COL. HELVET.

Merula tamen qui inscriptionem supra portam satis clarâ deprehendit, nisi quòd primæ vocis literæ, reliquis magis essent extritæ; eam sic se habere testatur

N-----ANGVSTI VIA DVCTA PER ARDVA MONTIS
FECIT ITER PETRAM SCINDENS IN MARGINE FONTIS.

An antiquitatem sapiat, non disputat ille. Per fontem intelligitur Byrsa amnis, qui ibi ex petra magna aquarum vi erumpit; plura vide apud *Munst. cosm. l. 3.*

CAP.

CAPUT VI.

De Alpibus in Genere.

QUoniam infiniti ferè sunt Authores, qui de Alpibus scripserunt, supervacaneum, & jam actum agere videremur, si de illis sermonem instituueremus, fateor multos esse, qui de hac materia fusè ac doctè in lucem multa ediderint: Nemini tamen mirum videatur si, cùm animus nobis sit nostram *Helvetiam* illustrare, ea quæ ad institutum nostrum facient, ex varijs Doctorum scriptis excerpserimus, & quæ à quamplurimis fusè nimis, aut etiam confusè dicta, in breve, dilucidum ac methodicum traxerimus compendium.

Alpium ὁμωνυμία.

Primò igitur, ut à vocibus omnem amoveamus ambiguitatem; notandum *Alpium* nomen alijs quoque montibus, à varijs Authoribus datum. *Pyrenæi* montes *Alpes* dicti *Ausonio* ad suum Paulinum scribenti *Epist. 25.*

Tristis egens deserta colat, tacitusq; pererret
Alpinis connexa jugis.

Id est, montibus *Pyrenæis*, sic idem *Epist. 23.* ad eundem Paulinum.

Nunc tibi trans Alpes, & marmoream pyrenem
Cæsareæ Augustæ domus est.

Hodie adhuc Occitani *Pyrenæos* montes vocant,

cant, *les Alpes*, & Hiſpani *Alpes*. *Agellius Alpinos Hiſpanos* ex Catone dixit; ſic enim de Catone ſcribens loquitur. *Cùm de Alpinis Hiſpanis ſcriberet, qui circa Iberum colunt, verba hæc poſuit, &c.* Scribit quoque ad *Virgil. Georg. Junius Philargyrius* altos montes Gallis *Alpes* vocari; idem ait *Servius in Virg. Georg. 3.* Itali etiam montem *Apenninum* (qui velut per totam Italiam ſpina dorſi eſt) nominant, *le Alpi*; ut annotat *D. Gaudard.* Contrà *Otthо Friſingenſis Alpes* nominat *Pyrenæum*, Italiam à ſeptentrione *Pyrenæas Alpes* habere ſcribens. *Guntherus* in Ligurino *Pyrenæum*, inquit, complecti *Alpes & Apenninum*, atque has eſſe *Pyrenæi* partes. *Simler. com. de Alp.*

Nos hic *Alpium* nomen, cum *Polybio, Strabone, Ptolomæo, Herodiano, Cæſare, Plinio, Livio, &c.* ijs tribuimus montibus, qui continua ſerie, ad hemicycli formam recurvatâ, *Italiam* à *Gallia* hodierna, *Helvetia, Rhætia, Germaniaq;* ſeparant: Nobis verò maximè de *Alpibus*, quas *Helvetij, Rhæti & Valleſiani* incolunt, ſermo erit.

Alpium συωνυμία.

Procopius lib. 1. rer. Got. Alpes, Celticos montes voce generali vocavit. Quidam referente *Cluver. Riphæos* montes, ipſa *Alpium juga* eſſe crediderunt, ſupra quæ una tantùm gens ad ſeptentrionalem uſq; Oceanum incoleret, *Celtas* gentem illam nominant, quos illi cum veterũ *Hyperboreis* eoſdem putarunt. *Poſidonius* verò, cùm apud vetuſtiſsimorum quempiam, aliud illud

Ryphæo-

Ryphæorum montium vocabulum, *Obij* legisset: *Alpes* autem, quas τὰ ἄλπια ὄρη vocabant Græci, crederet accipi pro *Ryphais*, exvoce ὄβια, conjecit vocem ὀλβια, quę primùm in ἄλβια, tandem in ἄλπια mutatam existimavit. Utriusq; istius sententiæ tanquam erroneæ refutationem vide apud *Cluver.*

P. Merula ex *Stephano* annotat, Veteres non tantùm ἀλπείης, vel ἄλπεις, vel ἄλπια ὄρη dixisse, sed & ἄλβια. Scribit etiam *Strabo lib. 4.* τὰ ἄλπια, olim dicta fuisse, ἄλβια; & apud Japodes, montem, qui extremus est, ἄλβιον dici, quòd eò usq; *Alpes* se extendant. Vult quoque idem *Merula* ἄλβια, esse *Phavorino*, σάλπιοι *Lycophroni*, ut sentit Interpres ejus *Isacius.* In singulari etiam numero *Alpis* legitur, ut in hoc versu

Ex templo frondosa fertur ab Alpe:

Sic Lucanus.

Agmine nubiferam rapto supervolat Alpem.

Videantur, *Ovidius 3.* de art. am. *Juvenalis* satyr. 9. *Sidonius* varijs locis. *Priscianus* lib. 7. *Anthonius* in itin. *tabul.* Legitur quoque Ἄλπος apud *Dionysium Afrum.*

Alpium ἐτυμολογία

Unde autem *Alpium* vox suam trahat originem, non idem omnes sentiunt. *Cluver. lib. 1. ger. an. cap. 8.* Celticum vocabulum esse affir-

niat, quo *Alpes* incolis olim dictæ fuerint patrio sermone, *Albon, Alban, & Alpen.* Agnoscit hodie nomen *Alpium*, teste *Simlero & P. Merula*, Germanicum idioma, cui tamen non id significat, quod *Junius Philargyrius & Isidorus* notant, quorum sententiam postmodum referemus. *Alp* enim & *Alpen* Germanis pascui vocantur montes, in quibus fœnum ad hybernos usus non colligitur, sed in quos pascendi tantùm gratiâ, boves aliaq; armenta mittuntur, ut; in Alp fahren/ vel auff die Alpen fahren/ nihil aliud sit, quàm armenta in montana ducere pascua, in quibus plerumq; ternis mensibus æstivis ad summum agunt: Accedit, quòd & nunc multis locis hos montes, Alpen/ die Alpen Germani nuncupent.

Alij Gallicum volunt esse vocabulum, inter quos sunt supra memorati *Philargyrius & Isidorus*; sic enim iste. *Alpes propriè montes sunt Galliæ, de quibus Virgilius*, aerias Alpes, *& dicendo*, aerias, verbum *expressit à verbo; nam Gallorum linguâ, Alpes, montes alti vocantur: hæ sunt enim, quæ Italiæ murorum vicem exhibent.* Festus à nivium candore dictas *Alpes* censet, quòd perpetuis ferè nivibus albescant: Sabini enim *Alpum* dixêre, quod postea Latini *Album.* Quidquid sit, aut hæc Festi originatio magis placet, aut incertam (quamvis nomen antiquum) esse arbitramur.

Utrum verò *Alpes*, Germaniæ, Galliæ, vel Ita-

Italiæ adscribendæ sint, parùm refert, cùm Italiam à Germania Galliaq; suo procursu, tanquam nativo muro separent, & ad tres illas Europæ provincias pertingant: Helvetia magnam illarum, earumq; altissimarum partem sibi tribuit.

De Alpium longitudine.

Circa *Alpium* longitudinem variant Authores. *Celsus* tradit in longitudine centum millia passuum patere: refert *Plinius lib. 3. cap. 19.* Celium ad decem milliaria à mari Thusco ad Adriaticum; Timagenem verò ad viginti duo milliaria, *Alpes* extendere; sed hæ sunt Plinianæ quisquiliæ. Polybius lib. 3. *Alpes à Massilia incipientes, usq; ad intimum maris Adriatici sinum protenduntur.* Unde multi *Alpium* longitudinem extendunt tantùm à mari Thusco seu Infero (aut potiùs à sinu Gallico) ad Adriaticũ sinum, seu mare superum, vulgò, *Il Golfo di Venetia.* Sed alij eas longiùs extendunt; *Mela* in Thraciam usque; *Alpium* quoq; *Pannonicarum* meminerunt *Tacitus* & *Sextus Rufus.* Terminos à quo, & ad quem sic describit Merula suprà citato loco. *Alpes ad mare Ligusticum ortæ per Allobrogas, Helveticos, Carnos, Illyrios perpetuari ferè videntur in Serviam usq;, ubi in duo sciſſæ brachia, uno per Thraciam procurrentes ad Pontum Euxinum, altero per Macedoniam ad Actium promontorium finiuntur.* Atque hæc est causa, quòd alia ab alijs Alpium longitudo statuatur.

De Alpium latitudine.

Latitudinem Alpium quod attinet, non minor est Authorum variatio, sicut refert *Plinius* ibidem. *Cornelius Nepos* in latitudine centum milliaria habere, *Livius* verò tria stadiorum millia, dicunt. Hac in re consulendi *Polybius lib. 2. Strabo lib. 4.* alijq;. Notandum obiter, *Alpium* nomine, omnes ferè minores intelligi montes, qui propè Alpes hinc inde surgunt, unde pro locorum diversitate, non eadem semper est latitudo: sic inter Italiam & Germaniam Alpium latitudo major est, quàm inter Galliam & Italiam.

De Alpium Altitudine.

De Alpium quoque altitudine serras reciprocari video. Altas cum experientia multi agnoscunt, sic Catullus canit.

Sive trans altas gradietur Alpes.

Et Silius Italicus lib. 3. ut earum exprimat altitudinem, *Supposita cœlo saxa*, vacat: imò nusquam tam profundum esse mare, ut non Alpes tantum in cœlum attollantur, ait.

Quantum tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atq; atra stagna paludis
A supera tellure patet: tam longa per auras
Erigitur tellus, & cœlum intercipit umbra.

Legendus quoque, super hac re apud Strabonem Polybius. *Alpes cœlo vicinas* vocat *Platinas in vita Pij 2.* Scribit Zabarella de reg. aeris. c. 8. *Ascendi (inquit) ad summitatem usq; montis Veneris,*

in

in agro Patavino, ibiq; per totam diem habui aërem serenissimum, sed infra circiter medium montis videbam nubes, quæ me visione vallium prohibebant. Vesperi autem postquam de illo monte descendi, inveni factam eo die, in infera parte magnam pluviam, cùm in montis cacumine nihil pluisset. Idem sibi per Alpes, & Apenninum iter facienti accidisse refert *Piccolomineus de meteor. cap. 11.* Sed hæc consideratio parvi est momenti, ad ostendendam Alpium altitudinem, cùm hoc etiam in minoribus montibus sæpè contingat. Referunt quamplurimi historici, esse montes, ex quorum verticibus, interposito brevi tempore, solis occasus & ortus videri possunt; quod etiam in summis Alpium cacuminibus contingit. Quidquid sit, nos cum *Simlero* & alijs asserimus, *Alpium* montes, omnium totius Europæ maximos, atque altissimos esse, quamvis id de Pyrenæis montibus, in *Hispanico affirmet Appianus.* Verùm quidem, parem non esse ubique altitudinem, quà incipiunt, humiliores sunt, quà finiuntur, mitescunt, intermediæ Alpes pleriſq; locis altiores sunt. Solinus *Vesulo* monti, unde Padus oritur, maximã altitudinem tribuere videtur, eundem *exuperantissimum* inter Alpium juga nominans. *Lepontias* Alpes summas esse volunt alij, hoc argumento, quòd inde ex monte Adula, in omnes orbis plagas, nobilissimi Europæ fluvij oriantur & defluant, sed idem in alijs quo-

que montibus cerni, ostendit *Simlerus com. de Alp.* Rhæti suas Alpes omnium altissimas esse contendunt. *Mela lib. 3. Montium altißimi Taurus & Rhetico, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano.* Vallesiani in suarum gratiam, superioribus litem movere non vererentur.

Nos eas Alpes alijs altiores esse credimus, quarum cacumina semper nivibus candent, quasq; cum Polybio lib. 3. *Insames frigoribus Alpes*; vel cum Justino histor. lib. 24. *invicta juga & frigore intractabilia loca*; aut cum Silio lib. 3. *clausas nivibus rupes*, & hyemis, tempestatum ventorumq; domum, nominare licet: Illæ enim ad mediã aëris regionẽ magis accedunt, unde ut alijs frigidiores, ita & altiores sunt. Non hîc moramur, quod de Olympo Solinus refert, aram in ejus cacumine Jovi dicatam esse, cujus altaribus si qua de extis inferantur, nec diffiari ventosis spiritibus, nec pluvijs dilui, sed volvente altero anno, cujusmodi relicta fuerint, ejusmodi reperiri; literasq; in cinere scriptas usq; ad alteram anni ceremoniam permanere; cùm hæc poëtica figmenta redoleant.

CAPUT VII.

De Alpium admirandis.

SUperiori capite Alpium ὁμωνυμίαν, αὐτω-

συνωνυμίαν, ἐτυμολογίαν, longitudinem, latitudinem, & altitudinem vidimus: Prætereunda verò nobis non videntur quædam de Alpibus memoratu digna. Nonne harum altitudo ſtupenda animos noſtros percelleret? Numquid illarum longitudo latiſsimè diffuſa, in ſui admirationem raperet? Quis non miretur, quibus fundamentis tanta moles nitatur, aut in quem uſum altiſsima hæc juga natura extulerit? Nonne aſpicientibus vicina illa cœlo cacumina, egregias illas naturæ pyramides, vaſtaq; orbis amphitheatra, aliquis ſtupor incuteretur? Quis non alpeſtrium itinerum difficultates & pericula cernens, expaveſceret? Nos *Alpes*, avium diverſarum caveam, variarum ferarum receptaculum, foſſilium multorum fodinam, armentorum paſcua, piſcium vivarium, apum alveare, fontium fluviorumq; matrem, tempeſtatum prognoſtica, hominum ſeminarium, affluentemq; lacte & melle terram, nominare poſſumus. Sed in ſpecie quædam Alpium admiranda videamus.

Memorabile ac multis populis ignotum, quod maximè verno tempore, in nudarum arboribus Alpium declivi accidit, cùm liqueſcunt & emolliuntur nives; tunc enim levi de cauſa conglomeratæ ex alto nives decidunt, quæ ubi propter volui magnitudinem ſimul ſubſiſtere non poſſunt, hinc inde diffunduntur,

ita ut quidquid fuerit obvium, secum abripiat, & ad imos montium pedes deferat. Rhæti *Labinas*, sine dubio à *labendo*; Germani corrupta voce *Lauvvinen*, & Helvetij gal. linguæ *Levantze*, aut *Valantze*, à *valle* (quòd conglomeratæ illæ nives, in valles usq; à summis montium jugis decidant) vocant. Sed de his fusiùs *Daniel Eremita in Desc. Alp. Stumpfius lib. 9. Simler. com. de Alp. Guler. de Rhæt. Sprecher. pall. Rhæt. Hotting. meth. leg. hist. Hel. p. 236.*

Reperiuntur in Alpibus induratæ glacies, crystallum referentes, de cujus ortu dissentiunt Authores: vehementiore gelu fieri ex nive vel glacie author est *Plinius lib. 37. cap. 2.* Succum intra terram condensatum statuit *Agricola lib. 6. foss.* prior tamen amplectenda sententia videtur. Non tantùm id nomen postulat, sed & loci natales, invenitur enim in iis ubi hybernæ nives sunt, in Alpium adeò invijs, ut plerumq; fune pendentes eum attrahant, sicut ait *Ionstonus, in sua Thaumat. nat. pag. 149.* Duorum generum crystalli in Alpibus reperiri docent *Munst. cosm. lib. 3. & Simler. desc. Vall. lib. 1. & com. de Alp.* Primum genus est candidum & pellucidum, illudq; præstantissimum; Alterum subobscurum, nonnunquam crocei, aut alterius coloris, quandoq; purpurascens; unde à quibusdam pro Amethysto gemma venditur.

Diversa autem est harum crystallorum magnitudo,

gnitudo, ferunt enim aliquando integras & non vitiatas ponderis quadraginta librarum, aut etiam quinquaginta reperiri: refert *Frey adm. Gall. cap. 9. In Gallicis Rhætorum & Helvetiorum Alpibus crystallum sive nivem sexangulam crescere, altam, latamq; duos tresq; pedes, ita ut Carolus Paschalis Regis Christianissimi ad Rhætos legatus tale crystalli frustum tribus millibus aureorum emerit.* Crystalli mirabilia sunt, quòd, cum tempore, ab arenis, terra, lapidibus, alijsq; sordibus per se purgetur; quòd à solis calore liquari nequeat ob summam frigoris intensionem; quòd ex ea diutiùs in ardentissimis fornacibus liquata, egregij fiant calices, quòd tandem vertiginis hostis putetur, appensa & pota; *Platter.*

Varij generis lapides eosque admirandos producunt Alpes. 1. Sunt multis locis lapides quidam nigri, qui metallorum instar è terra effodiuntur, maximè apud Sedunos & Siderianos, vulgus *Steinkolen* vocat, alij *carbones bituminosos*, hi ad ignis usum, carbonum ligneorum instar adhibentur; hodie ex illis calx optima conficitur. *Siml. descr. Vall. lib. 1.* 2. In prætura Plurensi, in montibus ex adversa Mairæ fl. ripa, lapis est, ex quo antiquitus (attestante Plinio lib. 36. c. 22.) lebetes (*Lavezzi*) coquendis cibis utiles, aliaq; vasa tornari solent; quæ ad circumvi-

cinas regiones magna quantitate devehuntur. *Sprecher. Pallad. Rhæt. lib. 10.* Ea dicitur esse saxi illius natura, ut venenum injectum ad ignem ebulliat & rejiciat. *Simlerus de Repub. Helvet. lib. 2.* 3. In præfectura Sanensi ditionis D. D. Bernensium, in monte saxoso, vulgò dicto *Doronaz* (fortè ab herba Doronico) lapilli subalbidi maximo numero, fabuli instar, reperiuntur, qui ita sunt comparati, ut in oculos immissi, eos expurgent; eandem habentes efficaciam, quam semini *Orvalæ* tribuit *Antonius Mizaldus*, utiles siquidem sint illi lapilli ad excutiendam oculorum caliginem, & ea quæ in illos inciderunt, educenda. 4. Sunt quoque in eadem præfectura igniarij silices optimi, in magna quadam rupe, colore nigri, & durissimi, ad catapultarum rotatarum usum perutiles. 5. In monte fracto, apud Lucernates, est quædam spelũca, ubi nascitur lapis Morochtus, vulgus suâ linguâ *lac lunæ* nominat, quem superstitiosè & stultè salutarem esse perhibent, adversùs quemcunq; morbum, ægroti cujusvis, propter quem expressè ipsius nomine à spelunca petatur. *Simler. MSC.* Extat meatus sive caverna in quodam monte Abbatiscellano, in quum si quid conjicias, ingentes ventorum procellæ, non sine vi maxima inde proveniunt, teste *Vadiano* viro doctissimo, & harum regionum experto. *Schvvizer. in descr. Helv.*

Omnis

Omnis ferè generis plantas in magnis montibus nasci memoriæ prodidit *Theophrastus*, ob locorum varietatis rationem, sicut ait *Simler. com. de Alp.* hîc nihil opus uberrima, ad alenda omnis generis armenta & pecora, commemorare pascua, in quæ solutis nivibus statim deduci possunt. Nihil hîc de venenatis & noxijs herbis, Napello, Aconito, Thora (quam Valdensem nominant) & alijs ejusmodi, sumus dicturi; quarundam tantùm salutarium meminerimus.

Scorzonera haud vetus planta est, primus eam *Matthiol. lib. 2. cap. 137.* descripsit. Inventa in Catalaunia à servo Aphro. contra viperarum morsum præsentaneum esse remedium, idem qui invenit, ostendit; succum haurire necessum est, illi qui effugere conatur. In Alpibus crescere Scorzoneram testatur, experientia, imò quinque illius species observavit *Clusius. stirp. pan. lib. 4.* Promiscuè quoquè videas in magno illo naturæ horto Gentianam, Elleborum album, Angelicam, Seseli, Siler, cirsium, linguam cervinam & alias de quibus apud Botanicos, maximè autem apud Gessnerum, & Clusium. Refert *Frey. cap. 8. ad gal.* in monte Pila altissimo, unde fluvius Dorbius profluit, frequentem latissimo folio plantam nasci, altera parte candicantem, & ab incolis desertam vocatam (*cacalia* fuerit forsan aut *petasites*). In montibus altis, locis desertis, ac secus

ſecus vias provenit Sylibus, ut ait *Simler.* quã vulgò Carlinam, alij teſte *Dodoneo*, Leucacantham, vocant, cujus capitula carnoſa, calice, floribus ac ſemine reſectis, ſuave edulium præbent. Qua ratione venenis omnibus reſiſtat, & alijs morbis profit vide *Dodon. Pemp 5. l. 5. cap. 8.* Apud Rhætos maximè pullulat copia *Doronici* herbæ (cui nonnulli falsò vim deleteriã tribuunt, ſi expertis medicis, *Geſſnero, Bauchino, Camerario*, & alijs credimus) hac rupicapræ delectantur, unde Montani, *rupicaprarum radicem*, Gembſwurtz / nominant teſte *Cluſio Stirp. pan. hiſt. p. 525.* Venatores paſtoreſq; montani, hac adverſus vertigines, non minùs quàm *Auriculæ* urſi radice, & ad roborandas vires utuntur. *Frey. adm. Gal. cap. 9.* Reliquum, quod eſt de herbis & fruticibus Botanicis, relinquimus: de arboribus & aquis alpinis alibi dicemus.

Animalia varij generis Alpinæ regiones alunt non minùs quàm planæ, imò firmiori corpore, & fortiora, quod exemplo cervorum & equorum alpinorum oſtendit *Simler. com. de Alp.* ibi quoque boves maximi, & vaccæ prægrandes viſuntur, tantæ ferocitatis, ut ne lupi eas aggredi quidem audeant, refert *Geſſner. de Quadrup.* An. 1551. in Rhætia inter Duriam & Velcuriam vaccas ex duobus pagis in pratum eductas tantum iniviſſe certamen, ut nonniſi viginti quatuor cæde ſopiri potuerit,

rit. Quemadmodum verò *non omnis fert omnia tellus*, ita etiam in Alpibus quædam animalia degunt, quæ alibi non facilè reperiuntur.

Mures Alpini, seu Glires (Gall. Marmottes aut Marmotaines, Germ. *Murmelthier* vel *Murmentle*) autumno cavernas subeunt, ubi in extructis ex fœno, similive materia, cubilibus per totam hyemem, erinaceorum instar conlobati tam graviter dormiunt, ut vel ex cavernis extracti priùs non excitentur, quin per aliquod tempus ad solem aut ad ignem fuerint expositi: refert *Frey.* N. Viri D. de Schavvenstein, regio apud Lugdunenses Rhætico præsidio Præfecti jussu, ex altissimis Rhætiæ montibus, advectos istius generis mures, nonnisi apparente vere fuisse excitatos. Miro in colligendo fœno molimine utuntur. Unus humi stratus, pedibus erectis, supinus jacet, in quem, tanquam in quoddam plaustrum collectum fœnum conjiciunt cæteri, qui sic onustum, apprehensâ mordicùs caudâ, in subterraneas cavernas trahunt. Quomodo autem apud Rhætos salsa illorum caro reponatur, & quo artificio in valle Telina capiantur, vide *Gessner. De his muribus agunt Plinius lib. 8. cap. 37. Matthiol. in Dioscor. lib. 2. cap. 63. Munst. lib. 3. cosm. Simler. com. de Alp. &c.*

Ex captarum sylvestrium genere sunt *Ibices* (Capricornos vocant quidem, Germ. *Steinbock*)

bock) in Alpibus; Naturâ frigus requirunt; cæcæ alias futuræ: Magni ponderis cornua ad dorsum reclinantur, eòque majoris, quò grandior procedit ætas: vetulis viginti circiter in ijs nodi increscunt, & tum bina sedecim librarum pondus excedunt; Nulla est tam aspera rupes, quam saltu non vincant, salientium si excipere potest ungulas, ipsum asperum parietem scandere posse, quidam prodidere: referunt venatores, morituros præaltam conscendere rupem, ibi altero ad parietem cornu innixos perpetuo ambitu circumire, donec attrito moribundi corruant. *Jonston. ex Gessnero.* Ibex fœmina, Germanis *Ibschgeis* dicitur. *Simler. de Alp.*

Rupicapræ (feras capras *Græci*; Germ. eitt Gembs vel Gemß; Alpinas capras quidam nominant) non quidem sumas ita incolunt rupes, ut *Ibices*; Nec earum tanta est ad longè saliendum agilitas. Videantur de his *Simler. de Alp. Munster. lib. 3. &c.* consulatur quoq; *Plinius lib. 8. cap. 53. & lib. 11. cap 37.* Testatur Frey, montanis in hisce capris Germanicum Bezoar reperiri paulò supra ventriculum, ijsdem viribus, quibus aut Orientales, aut Indiæ Occidentales suum Bezoar celebrant; Singularissimum sistendæ dyssenteriæ promovendæq; parturitioni, est remedium.

Lepores quidam minores sunt in Alpibus, qui hyeme maximè albescunt, ut habet *Gessnerus*;

nerus, istius rei causas vide apud *Simler. de Alp.* Alij dicunt, candidos non dari lepores, sed tales hyeme apparere, dum nivibus tanquam alba veste teguntur. *Ut annotat Clariss. D. Huldericus.*

Ingens *vulturum* in *Alpibus* præsertim est copia, quibus hoc præter cætera, singulare est, quod nec pennati, nec lanati, nec pilos, villosq; habeant, sed nescio, quid medium inter hæc omnia; monente magno *Scaligero.*

Præterea nusquam ferè nisi in Alpibus, aut altis montibus inveniuntur *Urogalli*, quorum majores *Tetraones* Plinij esse creduntur, Germanis *Orhan*, vel *Urhan*, & *Grosser Bergfasan*, montani Phasiani nominantur. *Simler. de Alp.* De *Urogallorum* coitu portentosa scribit *Encelius lib. 3. de lapid. cap. 54.* Gallus quippe hujus speciei sperma ex ore, coitus tempore, in vere excreat & evomit, & voce magna gallinas ipsas advocat, quæ sperma ejectum ore legunt ac deglutiunt, ac tali modo concipiunt. Illas postea Gallus comprimit, & quasi ratum facit, semen comestum. Super quas Gallinas non ascendit, illæ ova hypenemia pariunt. Sunt quoque alia duo sylvestrium Gallinarum genera candida, quæ in Alpibus potissimùm degunt. Aliæ, *ein Grügelhan*, & aliæ, *ein Spilhan*, germanicè vocantur, teste *Simlero*; videatur & *Munster. cosm. l. 3.*

Ingentem *Apum* in Lithuania & Podolia copiam

copiam esse testatur *Olaus Magnus*. Non abhorrent ab Alpibus apes, quæ ibi feliciter proveniunt; earum copiam facit pascuorum ubertas, odoris suavitas, florum abundantia, & saporis denique jucunditas, ut loquitur *Ionst. Thaum. pag. 343.*

Alpes *metallis* non carere ostendit *Siml. de Alp.* afferens causas, cur Helvetij rem metallicam negligant. Apud Rhætos metallicas argenti, cupri & plumbi fodinas *Sprech. Pall. Rhæt. lib. 9.* & Apud Vallesianos *Munster. cosm. lib. 3.* docent.

CAPUT VIII.

De Alpibus in specie.

HActenus de *Alpibus* in genere: In specie quædam nobis dicenda sunt. Cùm verò multa *Alpium* nomina in veterum monumentis occurrant, diversas earum fuisse partes, credendum est: Aliæ enim sunt pro locorum diversitate, Alpes *Maritimæ*, seu *Ligusticæ*, aliæ *Cottianæ, Iuliæ, Grajæ, &c.* De quibus apud Simlerum & alios. Nos earum Alpium specialiter mentionem sumus facturi, quæ huic operi illustrando inservire videbuntur.

Varia autem Alpium nomina desumuntur vel à Dijs; ut mons Iovis &c. vel à Divis; ut mons S. Bernardi, Gotthardi &c. vel à Ducibus

bus & claris viris, ut Alpes Iuliæ à Iulio Cæsare, &c. Vel à populis illas incolentibus ut Rhæticæ, Leponticæ, &c. Vel à situ, aliisque circumstantijs ut ostendit *Simler. com. de Alp.*

Alpes Penninæ, Peninæ, vel Pœninæ (sic enim varia Authorum ut lectio, ita & vocis explicatio) ab Hannibalis Pœnorum Ducis transitu dictæ sunt, ut *Plinio lib. 3. cap. 17. Marcellino lib. 15.* & veterum plerisq; videtur. Alij *Penninas* quasi *Pinninas*, à celsi cacuminis, quo cæteras Alpes superant, eminentia, dictas censent: *Pinna* enim latinâ linguâ, & *Pinne*, antiquâ Saxonicâ, & adhuc Belgicâ significat quidvis acutum & elatum, cacumen, summitatem, cuspidem, spiculum, aculeum, Gallicè *la pointe de quelque chose: Pennum*, inquit ex Varrone Nonius, acutum Antiqui dicebant. Priorem opinionem reijcit *Livius* his verbis: *Neq; herculè montibus his à transitu Penorum ullo Veragri incolæ jugi ejus norunt nomen inditum; sed ab eo quem in summo sacratum vertice penninum montani appellant.* Ad hæc annotat *Cluverius* lib. 2. cap. 4. ant. Germ. *Si proprium Dei nomen fuit Penninus, quomodo ab hujus primitivo vocabulo derivatũ est Alpium cognomen* Penninum? *Nulla certè grammatica ratione; proinde verum genuinumq; nomen Dei fuisse* Pen *& Romano ori* Pennus, *à quo jam rectè derivatur Penninus.* Jovem autem Deum illum fuisse, ostendit idem Cluverius lib. 1. cap. 26: Nisi quis dicere malit, Deum illum fuisse

D pasto-

pastorum Deum, qui dicebatur *Pan*, & forsan à Veragris *Pen*, de quo Virgilius:

Pan curat oves, ovium q; magistros.

Verisimilior autem est Livij sententia, quâ à *Penno*, *Pennina* Alpes denominatæ sunt: Ex *Polybio* enim *lib. 3.* apparet, Hannibalem per *Allobrogum* fines, aut Vocontiorum, id est, per Delphinatum transivisse, ut ait Sabellic. Enn. 5. lib. 1. Ubi verò Alpes *Pennina* sint, diversum sentiunt Authores. *Penninas* apud *Salassos*, *Plinius & Strabo* ostendunt, & cùm supra *Augustam prætoriam* (Germ. Augst. Ital. Aosta) duæ per Alpes viæ sint, huic quæ ad orientem est, & ad Veragros ducit, *Pennini* nomen tribuunt. Meridiem magis versus, Jovius & Alciatus locant *penninas*, ille ubi mons *Cinesius* (mont çeniz) hic ubi *Druentia*: Sed utrumque *Simlerus* refutat. Ubi autem sint, ex *Livio* non est obscurum, qui *Pennini* jugi incolas *Veragros* nominat. Dicimus itaque has Alpes eas esse, quæ ab *Octoduro* (Martinach) *Augustam prætoriam* versus porriguntur, *summumq; Penninum*, de quo Antoninus, eum esse montem, quem multi superioris & nostræ ætatis scriptores, communiter *montem Jovis* (mont-jou) vocant; aut secundùm *Tscudum*, *Simlerum*, *&c.* hodiernamq; appellationem *Mons S. Bernardi major*, *monte maggiore di S. Bernardo*, *Grand S. Bernard*; *Pintzgeuu* interpretatur *Lazius*. Malè *Jovius lib. 15.* Alpes S. Bernardi olim à Græcorum transitu

Grajas

Grajas nominatas censet. Veteris nominis; *Pennini*, apud *Salassos* vestigium manet, in valle ab incolis *Pelinna* dicta, quæ Augustâ prætoria, seu Salassorum ad *Penninum* ducit. *Vallesianorum* vallem esse opinatur *Rhenanus*, sed situs hoc non patitur. Existimat Viterbiensis chron. par. 11. Hannibalem per Alpes *Pyrenæas* (pro penninas) ubi *mons Jovis* nominatur, igne & ferro iter sibi aperuisse. Credit quoque *Luitprandus Ticinensis* per Alpes *Penninas* in *Italiam* venisse *Hannibalem*, scribens *Arnulphum* Imperatorem, per Hannibalis viam, quam *Bardum* dicunt, & *montem Jovis* ex Italia domum reversum. Scribit & *Jovius* apud Bardum, literas cotibus insculptas ostendi; monimentum Hannibalis, qui hac Alpes trajecerit. Est autem *Bardum*, victus inter *Eporediam* (hodie Jurea) & *Augustam Salassorum*; ubi vallis arctissimè coit, & ferè clauditur, Germani, *Imbart*; vocant, cùm ergo hic Hannibalis monimenta ostendantur, gravissimi tamen Authores alia via in *Italiam* Pœnum transivisse tradant, censet *Merula*, ejus exercitum in varia agmina divisum, pluribus locis trajecisse. *Penninos* ad totum Vallesianorum tractum extendit *Cluverius lib. 2. c. 6.* Unde illorum regionem *Penninam vallem* nominat; sed quod pace tanti viri dixerim, illas absque ulla Veterum authoritate orientem versus nimium extendit, sicut *Jovius & Marlianus* nimis ad meridiem, cùm

enim *Summum Penninum*, majorem S. Bernardi montem esse constet; probabile satis est, eas esse, quæ ab utroq; *summi Pennini* latere existunt, & valles efficiunt, ex una parte *Octodurum* usque, ex altera *Salassos* versus, aut saltem non longè ab illis.

De summis Alpibus.

Varia quoque habent Authores de Alpibus, quas *Summas* vocat. *Cæsar. lib 3.* scribens, *Antuates, Veragros, Sedunosq; à finibus Allobroguni, & lacu Lemano, & flumine Rhodano, ad Summas Alpes pertinere.* Arridet hic *Simleri* sententia; arbitratur ille nomen *summi* apud Cæsarem, non aliquod proprium significare nomen, quo aliquæ Alpes ab alijs discernantur, sed esse appellativum, ut Grammatici loquuntur, & idem esse ac τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων, vel *Alpium culmina*, ut dicuntur Cæsari; sic vocat *Livius summum verticem, & Antoninus, summum Penninum, summum pyrenæum, &c.* Atque sic *summarum Alpium* appellatione voluit *Cæsar, Alpes penninas*, secundùm *Rhenanum*, aut quæ sunt inter *Sedunos & Veragros*, ut generaliùs loquuntur *Alciatus, Marlianus, Iovius, Cuspinianus*, & alij. Errant verò *Glareanus, Tschudus, Stumpfius & Leander*, qui summas Alpes locant, ubi in omnes mundi plagas, eximia flumina evomuntur, suamq; trahunt originem. Qualis est mons *S. Gotthardi*, cum suis vicinis, vide fusiùs *Simler. com. de Alp.*

Quo-

Quoniam verò *Alpes Penninæ*, maxima ex parte ad Vallesianos pertinent, nos illis aliarum Vallesiæ Alpium quædam adjungemus nomina, prout hodie pronuntiantur.

E regione Brigæ visitur, mons *Sempronius* aut *Scipionis*, hodie Germ. *Simpelberg.* Gall. *S. Plomb.* Ital. *Sampione:* à quodam Romano duce nomen accepisse conjectura est: *montem Brigam* à proximo vico nominavit *Marlian.* Ex hoc monte quà Brigam respicit fl. *Saltina* quà verò Italiam fl. *Athiso*, oriuntur; per hunc montem ad Lepontios transalpinos iter est; videantur *Munst. l. 3. & Simler. in descr. Vall. lib. 1. & com. de Alp.* Non longè à Sempronio sunt montes dicti, vulgò *Passes & Matter*; de quibus *Munst.*

In valle Pennina est mons *Arola* omni tempore glacie abundans, ut inquit *Mercator.* Ad *S. Mauritij* meridiem conspicitur mons summè altus, nivibus & glacie perpetuò albescens, accolis vulgò dictus, *la dent de midy:* ad septentrionem, ex illius regione, est alius quoq; editissimus, vulgò *la Dent de Morcles*, à pagulo in montibus illis dicto, *Morcles.* Ex eadem parte Ardonium & Sedunum versus ascendendo, montes *Bernatum* ditionem à Vallesianis distinguentes, generaliter sub nomine montis *Sanetij* comprehendit *Guillim.* Germ. Sanetchberg, vel Sanetzberg, à valle Sanensi.

Ad ſeptentrionem *Sideriani* conventus eſt mons *Sylvius* dictus Auſtelberg, ſecundùm *Mercatorem*. Sylvium tamen alibi collocat *Simler. deſc. Vall. lib. 1.* cùm ait Mattiam vallem, in conventu Veſpiano, incipere à monte *Sylvio*, per quem iter eſt ad Salaſſos & Ajazam vallem, *das Kremertal, &c. com. de Alp.* Apud Sedunos mons eſt, quem quidam Sylvium nuncupant, Salaſsi Roſæ nomen ei impoſuêre; in hoc monte ingens eſt glaciei perpetuæ cumulus, &c. *& alio loco*; per juga montis Sylvij, quem noſtri *Gletſcher* vocant, duo ſunt itinera, unum ad Salaſſos, alterum in vallem Seſitis.

Supra thermas *Leucenſes* (Leuckerbad) montes & præruptæ rupes extraordinariæ altitudinis conſpiciuntur: dicuntur vulgò *Lætſch*, aut *Lætſchemberg, & Gemmi*, hunc *Guillim.* Gemmium vocat, unde *Dama* aut *Dala* fluviolus oritur: per hujus montis rupes iter arduum ac horridum factum eſt, per quod ex valle Frutingenſi (Frutingerthal) in illas thermas deſcenditur: hoc iter æſtate quidem frequentiſsimum; hyeme verò imperium eſt: illius autem tanta eſt altitudo & aſperitas, ut non malè quidem *Gemmium* à gemitu nominatum putent. *Simler. deſc. Vall. lib. 1. Munſter. coſm. l. 3.* Specialia uniuſcujuſq; montis referre nomina difficile nimis, imò mihi illorum ignaro impoſsibile.

De

De Lepontijs Alpibus.

Inter Alpes non ultimas tenent, quas veteres *Lepontias nominant: has sic describit Marlianus. Fuerunt illæ, ex quibus Rhenus inter fines Seduneńsis & Curienſis diocæſium oritur, quas Lepontias Cæſar & alij ſcriptores appellavere: nunc D. Gotthardi, ac Divi Nicolai dicuntur.* Merulæ dubium non eſt, eas comprehendere omnes Alpes, à Rheni fontibus ad Rhodani uſque ſcaturiginem, ubi hodie *Levantinæ, Brenniaq;*, quæ *Palenza* dicitur, incolæ; ad quas *Criſpaltus & Lucumonis* mons, altera parte pertinent; à *Lepontijs* populis nomen accepiſſe credibile eſt, antiqui nominis veſtigium manet in valle, per quam *Ticinus* fluit, quæ *Levantina* quaſi *Lepontina*, Italis dicitur, accolis verò *Livinerthal* vel *Levantinerthal*. Iovius has minores Lepontias vocat, ad earum differentiam, quibus à lacu Comenſi per *Clavennam, Curiam Rhætorum* itur, quas *majores Lepontias* nominat. *Alciatus* in Suitenſibus, quà Glaronam ex Bilitionis caſtro rectà tenditur, *Lepontias* ſtatuit, ſed anguſtè nimis. Sub Lepontijs mons altiſsimus *S. Gotthardi*, eſt, per quẽ ab Uranijs Helvetijs in Italiam traijcitur, hæc via duobus locis maximè periculoſa eſt; 1. In *ponte tremente*, ſic enim vocant, in aſcenſus, quà Italiam ſpectat, ferè medio; unde ad cacumen uſque, nihil niſi nuda rupes, cum nivibus & multa glacie; dicitur verò *pons tremens aut tremulus*, non quòd ipſe

tremat, ſed quòd montem aſcendentes viſo præſenti periculo, tremere incipiant. 2. Ex altera parte, viſitur *vallis infernalis*. ubi ſupra Sillinium, pagum Uraniorum, juxta *Urſam* fl. & propè Urſarium vicum, pons eſt, quem Diaboli aut inferni pontem (vulgò die Teuffelsbrug) nominant: hujus meminit *Platina*, in vita Pij 2. dicens eum ante pontificatum, tempore Concilij Baſileenſis ex Italia, per *Inferni pontem*, Lucernæ lacum, Helvetiorum campos, Baſileam tandem perveniſſe, de his vide *Iovium. lib. 15. Simler. com. de Alp. Vigener. com. in Cæſar, &c.*

Hic mons *S. Gotthardi*, multis verticibus conſtat, inter quos habetur, *Mons Furcæ*, Germ. die Furcken, à bifurcato, & in duos vertices diviſo ſummo jugo, nomen habet. Hic mons aſper eſt valdè, nec inhabitatur, limes eſt inter Uranios & Valleſianos, & ex eo Rhodanus oritur. *Munſter. coſm. lib. 3.* refert olim vocatum *Iuberum, & Coatium*, aut ſecundùm alios *Urſellum*. Non longè ab hoc eſt mons *Grimſel* aut *Grimſula*; continuus eſt Furcæ, & ſub Lepontijs quoque comprehenditur: Vallem Haſelam ſub ditione D. D. Bernenſium, à Valleſianis dividit; iter admodum arduum & aſperum eſt per Grimſulam. Inter Lepontias quoq; numeratur mons *Lucumonis*, (Germ. Luchmanier) hoc nomen à quodam *Lucumone* Tuſco accepit: dicitur etiam Mons S. Barnabæ,

nabæ, ubi est rupes Cadelin, de qua postea cap. XI. hic mons Rhætos à Lepontijs distinguit.

De Alpibus Rhæticis.

Succedunt Alpes Rhæticæ, à Rhætis populis eas incolentibus, dictæ: de his apud veteres frequens mentio. Tacitus hist. lib. 1. *Rhæticorum jugorum* meminit, hos montes *Merula*, à Como Veronam usq; extendit. *Rhæti* (inquit Strabo lib. 4.) *ad Italiam spectant supra Veronam & Comum.* Dicit *Marlianus*, Alpes Rhæticas agro Tridentino adjacere, ut & Veronensi, quibus ex Italia in Sueviam & Austriam iter est. Plurima autem sunt Rhæticarum Alpium juga, inter ea principem locum tenet, secundùm pleroſque, mons *Adula.* Strabo lib. 4. ἀδούλλων Alpium partem facit: Guarinus in Strabonem vitiosè legit *Diaduellam.* Ex hoc monte Strabo & Ptolomæus Rhenum deducunt; illius summitas vocatur Germanis *der Vogel*, *aut Vogelberg*, Rhætis *colmen del olcello aut ocello, vel Monsted del vecello*, Italis *monte del Vccello*, ut annotat D. Gaudard. secundùm alios mons *S. Bernardini*, per quem à Rhætis Bellizonam itur, *Bralium* vocat simplicitas vernacula, ut ait apud *Siml. Alciatus. Vuillichius in Tacitum*, accolis dici, Etzel, refert; non oportunè in lacus *Larij* descriptione, *Grajas* appellari *Jovius* scribit. Sprech. Pall. Rhæt. lib. 7. montem *Aviculam* vocat, unde Rhenus posterior

oritur: in loco ſcaturiginis quondam ſacellum fuit Nymphis dicatum, cujus adhuc veſtigia cernuntur, referente eodem *Sprech.* Sunt & alij, qui *Adulam* ſub Lepontijs collocent, inter quos eſt *Vigenereus*, qui Gotthardi, Criſpaldi, Lucumonis montes ſub Adula comprehendit, & Adulam aut Adyam, ut etiam legit *Alciatus*, inacceſſum ſignificare dicit. Sic *Vuillichius: Adula ita monti S. Gotthardi connectitur continenti quidem jugo, ut ſit ſummarum Alpium veluti brachium aut cornu.* Guillimannus quoq; Adulam ſummarum Alpium ſive S. Gotthardi orientalem partem facit. Parùm verò refert hoc, cùm *Alpes Rhæticæ & Lepontiæ* vicinæ, imò conjunctæ ſint.

Splugæ aut Spelugæ mons (à Spluga vico celebri in primo Rhætorum fœdere) Adulæ proximus eſt. Hujus mentionem facit *Jovius lib. 15.* Latinis ſcriptoribus *Urſulus vel culmen Urſi*, Rhætis, *colmo del Orſo*, Germanis *der Urſeler oder Splugerberg*, Vigenereo *S. Bernardini* mons, quibuſdam etiam *Avicula*, dicitur. In hoc monte columnam Iulij Cæſaris oſtendi, ait *Simler. com. de Alp.* Ad illius radicem fl. Liro oritur vallem Clavennenſem interſecans; huic valli ad orientem adiacent montes, *Furcula & S. Jori.*

Rhætico mons inter altiſsimos à *Mela lib. 3.* nominatur; eum in ſinibus Rhucantinorum collacat *Mercator*: à Rhæto Tuſcorum Duce, deno-

denominatum vult *Simler. com. de Alp.* Tschudus Prättigöwerberg appellat, qui in Helvetia est, de eo sic in Tacit. Germ. Althamerus. *Rhætico mons, apud Pomponium Melam, est jugum illud Rhætiæ primæ inter fines Curiensium & Vallesianorum, Helvetijs imminens, cui adhærens vallis vetusti nominis reliquias servat: vulgò enim Braetigovv (vicum habens Tenatium) id est Rhætorum ager, pagus aut vallis pro Rheticone appellatur, puto insuper Pomponium, Braetigovv, ad Romanæ linguæ figuram in Rheticonem deflexisse, dicitur præterea vallis Montasium à Comitibus de Sonnebergo, quibus paret.* Secundùm longitudinem hic mons extenditur usque ad Estiones; ab uno illius latere est vallis Drusiana, quam mediam secat fluvius *Langarus*, qui in altissimo Rheticonis vertice (selva Rhæta, quasi sylva Rhætiæ dicto) oritur, videantur *Sprech. Pall. Rhæt. lib. 9. & Altham.* de varijs Rhæticarum Alpium nominibus.

Supra de Penninis Alpibus locuti sumus, quæ sunt inter Vallesianos & Salassos: sunt & aliæ, quas Tacitus juga *Pœnina* nominat, quibus ex Italia in Noricum & Germaniam iter est, referente *Marliano*. Loquitur quoque *Ptolomeus* de τῶν οἴνοις Alpibus à Penninis diversis, quæ Italiam à Rhætia separant, suntq; inter Rhæticas Alpes & Ocram montem, ad fl. Lyci fines positæ: has à Pennone Noricorum Rege, dictas ait *Aventinus*, illas etiam Bojas nominans, addensque ab eodem Pennone,

none, nuncupatum Penninum montem (unde oriuntur Atheſis & Rhenus) quem vulgò *Venuſticum* dicunt, iſtas autem Alpes his verbis ita deſcribit. *Vindelicia, quam jam Boiariam nominamus, clauditur ab auſtro perpetuis montium jugis, & hoc dorſum à Lyco ad Oenum pertinet, quod ampliùs ſi anfractus ſequeris, centum & viginti millia paſſuum percurrit; quòd ſi biſce quincuncem demſeris, reliquum eſt recti itineris intervallum. Alpes à Ptolomeo Penninæ (aut potiùs Pœninæ) nuncupantur, ſicut celſiſſimæ undique præruptæ, & abſciſſæ rupes. Cacumina perpetua nive albicant, longè, latè ad quadrageſimum, & ampliùs lapidem à peritis diſcernuntur.* Alpium quas *Aventinus* deſcribit, inquit *Simlerus*, ſumma juga à noſtris nominantur, *de Arliberg oder Albelen* (ab Aquila nomen habent) item *venuſtus mons Binſtermüntz*. Atque, inter *Oenum & Lycum*, iſti montes longè procurrunt, & vallem efficiunt, quæ à Germanis *Inthal*, vocatur: hanc idem *Simler. deſc. Valleſ. lib. 2. & com. de Alp.* Pœninam vallem, (rectiùs Oenina diceretur) quæ à Rhætiæ prolegato regebatur, eſſe ex quadam quę Floreni, in agro Veronenſi, viſitur inſcriptione, arbitratur.

Alpium Helveticarum pars eſt *mons Albius*; jacet is inter *Tigurum & Tugium*; & eſt ubique paſcuus: hujus mentio fit in literis quibuſdam Ludovici, circa annum ſeptingenteſimum. Hunc *Rapertus* Thuricenſis, S. Galli mona-

monachus *Albiscum* nominat. *Simler.* MSC. Apud Lucernates, mons est quidam, Lucernæ urbi imminens, dictus *Mons fractus & Pilati*, ubi est caverna quædam, de qua *cap. praced.* & lacus Pilati, de quo suo loco. Certissima ex hoc monte, tempestatum indicia petunt Lucernates annotante *Simlero, com. de Alp*, hunc montem descripsit *Gesnerus*. Si quis plura, sive in genere, sive in specie de Alpibus scire cupiat; *Simlerum* illas peculiari libello doctè describentem, *Merulam* illius Epitomatorem, alios; quamplurimos consulat. Hodierna diversorum Argoviæ montium nomina, ad peculiarem locorum descriptionem referre oportunius est.

CAPUT IX.

De Helvetiæ Sylvis.

DE montibus hactenus; Sylvas quod attinet, tantus est earum varij generis numerus, ut omnium nomina, vix quis enumerare aut commemorare queat. Nota satis insignis illa Germaniæ sylva, quæ communiter *Hercinia*, ab Hercino Germaniæ monte, ut Marliano placet; aut *Hartzinia*, ab Hartz, id est, resina, secundùm Ammianum; quibusdam corruptè *Martiana*, Eratosthenis *Orcinia*; Germanis *Schwartzwaldt*, Gallis, la foreſt noire,

re, dicitur. Asserit verò Mercator, illam se in Helvetiam usq; extendere, & *Helvetiæ sylvas* illius esse portionem, ac veluti brachia quædam, quamvis modò hic, modò illic diversa accipiant nomina. Sylva, quæ propè Zoffingam est, dicitur *Bonvaldt*; profert hæc abietes proceriſsimas, centum & triginta pedibus longas, quæ secundâ Arulâ, per Rhenum in mare, ad construendos navales malos transmittuntur, vide *Munst. lib. 3.* Reliqua *Argoviâ* frequentes habet sylvas, de quibus in speciali illius descriptione. *In Valleſia* duarum sylvarum meminit *Mercator*, unam vocat *Melebach*, propè Arnen; alteram *Perſimvaldt*, propè Perigard: sunt autem sylvæ per totam Helvetiam crebræ satis; sive in locis montatis, sive in planis. Insignis quoque ea est sylva, quæ per mediam fere *Vaudi* regionem, longè lateq; porrigitur, dicta vulgò *Jorat*, forsan quia cùm Vaudi editiora loca occupet, & montem quasi referat, sit velut alter, aut quasi minor mons *Jura*. Alias reticeo, quarum communiter nomina ab oppidis aut pagis vicinis desumuntur. Cùm autem Helvetia, sive in montibus sive in planitie varias habeat sylvas, varij quoque generis arbores alit, de quibus aliquibus aliquid hic dicere, oportunum erit.

Caſtanearum non exiguæ sunt sylvæ apud Rhætos, qui siccatas adversùs famem, magno pauperum commodo recondere didicerunt: si enim

enim rectè, ac ex arte siccatæ fuerint, siccæ pariter & elixæ esui aptæ sunt, panisq; ex illis in plebis usum coquitur, ut ait *Simler. tom. de Alp.* Sunt quoque alibi castaneæ in Helvetia, maximè apud *Antuates*, & in præfectura Nevidunensi, ditionis D. D. Bernensium.

Sunt & *Querceta* varijs in locis, unde quercuum usus, ob ligni firmitatem, in ædificijs constructendis est. Sic Berna, in Querceto primò, à Berchtoldo Zaringiæ Duce ædificari cœpta est ex quercubus. Glandes mirificè ad saginandos porcos inserviunt, unde magna utilitas; famis quoque tempore, apud pauperes in usu sunt. Ligno, in quercu nati visci, pro amuleto adversus comitialem morbum nonnulli utuntur, & similiter contra sanguinis undequaq; eruptiones; sed exiguo, imò nullo cum fructu aut successu, sicut monet *Dodon. pemp. 6. lib. 4. c. 3.* In veterum quercuum caudicibus enatum *Polypodium*, apud Medicos magni æstimatur, & alijs præfertur.

Inter glandiferas arbores annumerat Dioscorides *fagum*, quamvis Quernæ glandi nihil simile fructus habeat. Egregiæ procerarum fagorum sylvæ, in Helvetia reperiuntur. Lignum ad ignis usum optimum est; illius cineres ad vitri compositionem utiles, scribit *Petrus Crescentius.* Interiores, fructus nuclei, sapore cum levi adstrictione dulces, feruntur renum ex calculo dolores, si edantur mitigare, &

& ad calculorum ac arenularum faciliorem exitum, prodesse; Columbæ ac turdi his delectantur, horum pastu sues saginantur, muribus ac sciuris gratissimi sunt.

Inter montanas arbores à *Theophrasto* enumerantur abietes, pinastri & piceæ; constat autem experientiâ, non solùm has arbores in Alpibus felicissimè provenire, sed & in locis planis, illarum enim sylvæ per totam Helvetiam frequentes satis sunt, verùm montanæ ob majorem materiæ firmitatem, sunt præferendæ, sicut ostendit *Simler. com. de Alp.* pag. m. 322. De varijs resinis tum aridis, tum liquidis, ut & de pice, vide apud Plinium lib. 16. c. 10. & passim. Galenum, Dodoneum & alios, ex conis seu strobylis, quidam civis Lausannensis, oleum stillatitium conficit, quo adversùs varios morbos feliciter utitur. In resina & pice colligenda maximè dant operam, vallis Galangascæ apud Rhætos, incolæ, unde se, familiasq; suas alunt, *Simler. com. de Alp.* unde quoque resinarij dicuntur *Guillim. de reb. Hel. lib. 4. c. 2. p. 430.*

Inter coniferas arbores, non contemnenda videtur *Larix* Theophrasto & Græciæ ignota, Alpibus nostris propria, quarum ingens copia est in sylvis apud Vallesianos, & Rhætos præcipuè. Illius lignum in tempestatibus firmissimum, adversus cariem illæsum, ad ædificia aptum, visu pulchrum, odoratu suave, & con-

tra

trà lepram efficax, habetur. *Resina larigna*, in officinis Terebinthinæ loco divenditur, quod jam suæ ætatè factum *Galenus* refert. Fungus quidam in laricè nascitur, vulgò Agaricum nominatur. *Plinius lib. 16. c. 8.* Galliarum arbores maximè glandiferas ferre Agaricum dixit, sed fallitur, non enim glandiferæ, sed coniferæ, & quidem inter has sola larix, quæ non in Gallia hodierna, sed in Helvetiæ & Italiæ Alpibus crescit. Agaricum autem adversus capitis dolores prodesse dicit Plinius lib. 25. c. 6. viscerum obstructiones expurgat, lumbricos pellit, aliisq; morbis medetur, ut Medici testantur. Obiter hic notandus duplex *Plinij* error. 1. enim folia amittit autumno, quod non cognovit *Plinius*. 2. laricem non comburi igne, dixit idem *Plinius lib. 16. c. 10.* quod etiam de castro tarigno à Cæsare oppugnato refert Vitruvius: sed hoc falsum esse experientia comprobat, à nullo enim alio ligno magis liquefiunt metalla, ut in Tridentinis montibus videre est; omnium *laricis* carbones ferrarijs officinis utilissimos scribit *Matthiolus*: apud Vallesianos non alia in foci usum ligna, multis in locis adhiberi tradit *Simler com. de Alp.*

Platanus Italiæ advena & peregrina, sicut ex Plinio lib. 12. c. 1. videre est, in Helvetia communis est; illius proprietates vide apud eundē, *Plin.* lib. 24. c. 8. *Fraxinus*, ita serpentibus infensa est,

sa est, ut nullas illius umbras ferre possint *Plin. lib. 16. c. 13.* Experientiâ sibi compertum scribit Plinius, fraxini fronde & igne clausum & circundatum serpentem, per ignem, potiùs quàm per fraxinum, evasurum. Hinc summa naturæ benignitas; floret, antequam serpentes egrediantur, nec ante conditos folia demittit, pauci imò nulli sunt serpentes ubi fraxinorum est copia, ut apparet quibusdam in Helvetiæ locis, ubi multæ sunt fraxini. Sed hæc de arboribus quibusdam dicta sufficiant.

CAPUT X.

De Helvetiæ fontibus.

SEquitur nunc, ut pro instituti nostri ratione, quibus fontibus, fluvijs, & lacubus, Helvetia nostra decoretur, videamus. Nulla sanè est regio, præter Helvetiam, quæ tot aquis gaudeat. Fontibus, amnibus ac lacubus, non esse similem Helvetiæ nationem, existimat *Glarean. in sua paneg.* Lacus enim navigabiles viginti quatuor & ultra fluvij sex numerantur, fontes verò innumeri. Hujus aquarum crebritatis causam indicat *Seneca, lib. nat. quæst. 3. Constat, Germaniam, Galliamq;, & proximè ab his Italiam abundare rivis & fluminibus, quia cœlo humido utuntur, & ne æstas quidem imbribus caret.* Hoc certè de Helvetia maximè verissimum

mum est, ut experientiâ patet: Regio etiam ipsa maxima ex parte montana frigidior est, & montes quàm sæpissimè nubes, pluvias, aut nives emittentes, attrahunt ita ut rectè dixeris, cum Silio.

Abeunt in nubila montes; aut cum Virgilio.

--Sæpè cadunt de montibus imbres.

Unde Placidius Placentinus, *nubiferas Alpes* vocavit.

Hæc aquarum copia, etsi quandoq;, ob locorum aquis vicinorum inundationes, noxia sit, piscationi tamen utilis est, irrigandis pratis, atque vehendis oneribus & mercibus oportuna.

Fontes eosq; innumeros & maximos habet Helvetia, ita ut passim obvij sint (maximè verò in illa valle, montiumque tractu, quæ Emmenthal dicitur) & illos in summis montibus reperias. Si quis in præcipuorum Europæ fluviorum origines inquirat, eos in Helvetiorum montibus quærat. Suas Helvetia alijs nationibus communicat aquas, imò suas cum illis, ad exteros populos, sordes amandat. Quoniam verò tot, sive in planitie, sive in montibus, fontes reperiantur, dignum est, ut, unde oriantur, indagemus. Ab aquis pluvialibus fontiũ scaturigines voluêre nonnulli; sed illæ sufficere non possunt, non rarò enim per multum tempus deficit pluvia, &

quæ infra pedes decem decidit, terram non madefacit, *Seneca* lib. 3. nat. c. 7. In ficciſsimis tamen locis, puteis in altum actis, per ducentorum & trecentorum pedum ſpatia uberes aquarum venæ inveniuntur. Ex montibus etiam & ſaxis erumpunt flumina, quibus nihil pluviæ conferunt. Ex terra in aquam mutata fontes provenire ſcripſit *Seneca*. Sed contrà faciliùs aqua ob ſuam denſitatem in terram mutari poſſet, ut ait *Jonſt. Thaum.* p. 64. Ex aëris vaporibus in terram concluſis, & eorum frigore condenſatis, fontes naſci, ſenſit *Ariſtoteles*: Quod verò vaporibus eſſet opus ad unici ſaltem fluvij conſtitutionem? & perpetuas dari cauſas neceſſum eſt, perpetui illius aquarum fluxus, ſicut loquitur *Sperling. inſt. phys. lib. 4.* Dicendum ergo per ſubterraneos canales, & terræ venas, inſtar ſanguinis animalium, è mari fontes manare, quibus ſolum mare ſufficit. Sicut autem maris origo à Deo eſt, *Gen. 1. v. 9. 10.* ita mare fontium, rivorum, fluminum hoſpitium, caput & origo eſt. *Eccl. 1. v. 7. omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur; quocunq; loci flumina properant, eodē revertuntur properè.* Unde Pſaltes, *Pſal. 104. v. 9.* loquens de marinis aquis, *Terminum poſuiſti, ne tranſeant, ne revertatur ad operiendum terram*, poſtea addidit, *v. 10. Qui emittis fontes per valles, ut inter montes ambulent.* Talis ergo eſt fontium à Divina potentia, origo; de aſcenſionis

sionis modo maxima inter Physicos controversia; vide quæ ex *Thoma Lydiat Anglo* habet *Jonstonus.* Maximum autem est Divinæ Providentiæ beneficium, quòd tot, atque diversi generis fontibus abundet Helvetia; variè autem illius fontes distingui possunt: vel enim alij sunt perennes, alij temporarij; alij frigidi, alij calidi; alij dulces, alij aciduli, salsi, sulphurei, &c. alij salutares, alij noxij, &c.

Cùm autem magna hæc in aquis varietas, Divinæ sapientiæ ac potentiæ sit index, non mirum est tot qualitatibus ac peculiaribus viribus aquas gaudere: probabile quibusdam videtur, istas aquas, alijs atque alijs atomis repletas esse, quarum beneficio nunc sympathiæ, nunc antipathiæ, nunc corruptiones, nunc generationes, aliaq; ejusmodi fiant. De aquis mineralibus dignus est *Sperlingij inst. phys. lib. 4.* locus, qui hîc adscribatur. *Parum erat* (inquit ille) *aquam detergere sordes, gignere fruges, producere olera & arbores. Potiora adhuc potentia aquarum ponenda erant exempla. Quid acidulæ, acridulæ, salsidulæ, dulcidulæ? Tanta eis inest vis, ut calamo satis depingi nequeat. Calefaciunt, siccant, attenuant, solvunt, penetrant, appetitum excitant, ventriculum confortant, obstructiones viscerum aperiunt, lapides in renibus & vesica frangunt, homines ex ipsis mortis faucibus eripiunt. Et cùm commemorare vires nihil habeat sapientiæ, an causam rei possimus, tentandum. Hæc autem non in aquarum alte-*

ratione, sed in mineralium commistione quærenda. Mineralis aqua tunc oritur, cùm minera aliqua, sub specie halitus, vaporis, aut tinctura, cum aqua conspirat. Hinc pro multiplicitate mineralium multiplices sunt minerales aquæ. Et cùm multiplex paucorum etiam mineralium fieri soleat mistio, innumerabiles penè fiunt aquæ istæ. Quodnam verò in specie cum aqua conspiret minerale, docet effectus. Aluminosæ aquæ vulnera sanant & ulcera, aratæ prosunt oculis, nitrosæ fœminas reddunt fœcundas, sulphuratæ vitiligines tollunt, & impetigines sanant, salsæ leviter cutem mordent, aluminosæ mordent & adstringunt.

Nunc ad admirandas Helvetiæ aquas accedendum. De perennibus fontibus, ijsq; puris & potui utilibus, non est quòd hic agamus; de temporarijs aliquid dicendum; sunt autem illi in duplici differentia, vel enim cessationis causa patet, vel latet, aut saltem non ita cognoscitur benè. Notandum verò in Alpibus, non omnes fontes à mari suam originem trahere, sed multos à pluvijs, nivibus & glacie solutis dimanare, unde propterea deficiunt, cessante causa. Cùm enim Alpes magnum ac vastum corpus habeant, contingit in illis, velut in gremio aut sinu aliquo, pluviæ ac nivium copiam asservari, nec possibile est quamplurimis in locis pluvias aut niveas aquas evacuari, unde etiam fiunt in summis montibus stagna & laculi, qui cùm per rivulos non effluant, id per meatus subterraneos,

&

& rupium montiumq; concavitates fiat, oportet. Atque inde varij in inferioribus locis, fontes oriuntur. Experientia quibusdam locis hoc demonstrare videtur: si enim hyberno tempore non altæ cadant nives, si verno maturè liquefactæ fuerint, si æstas pluvijs non infesta, si Sirius arserit, videas tunc multos fontes ex montibus, ubi nullæ remanserunt nives, ortos maximè in canicula deficere, postmodum accedente pluvio tempore, aquas suas iterum emittere. Audivi quoque à fide dignis Montanis, aliquando lignum serrâ sectum, in quoddam stagnum, seu, ut illi vocant, lacum, in summo, apud Fryburgenses Helvetios, monte situm, conjectum fuisse, quod per fontem in ditione Bernensium, ab illo stagno duobus milliaribus Germanicis disitũ, cum aqua effluxerit. Verum etiam est, vivas esse scaturigines, quæ aquæ nivalis confluxu augeantur: unde cessante nive minores existunt. De aquis autem niveis & earum qualitatibus vide *Simler. com. de Alp.*

Sunt verò fontes, quorum temporarius fluxus admiratione non caret. *Non præterierim*, inquit Schvvizer. Desc. Helvet. *fontem in valle Hasela* (vulg. Haslilandt) *in monte Engstlen nominato, haud procul ab Arolæ fontibus, qui nullo anni tempore fluere consuevit, præterquam Julio, Junio & Augusto mensibus, cùm pecora & armenta ibi pascuntur: fluitque certis tantùm horis, manè & ve-*

speri, quando à pastu ad potandum pecora abiguntur; & si quid impuri in eum immittas, fluere fons cessat, demumque post aliquot dies aquæ redeunt. Sic de fonte Mariano apud Leucianos Vallesios, Caspar Collinus Sedunus.

Est præterea frigidus limpidissimusq; fons non procul à maximo balneo versus meridiem. Deiparæ nomine insignitus, quoniam in Majo, vel saltem sub finem Maij proveniens in Augusto circa festum assumptionis Mariæ fluere desinit: cujus rationem affert his verbis. *Fons hic originem ducere videtur, à nivibus vel glaciebus illis perpetuis, quæ cùm incipiunt liquescere, ut in Majo fit, aquæ earum per canales subterraneos eò defluunt, ibique ebulliunt, quum verò calor deficit sole averso, ut fit in fine æstatis, fons iste, suo cursu destituitur: promanat enim, cùm ver est calidius soluto citiùs, &c.*

Narrat quoque *Munster. Cosm. lib. 3.* Fontes Fabarianos apud Rhætos, verè aquas emittere, & autumno eadem sistere, crescere crescentibus herbis, marcescentibus verò paulatim deficere. Istis tamen adhuc mirabilior mihi videtur fons propè Aquileam (Aigle mandement sub ditione Bernens.) in inferiori parte vineti, ad montis pedes, qui aquas suas satis copiosè, septimo quoque anno tantùm per aliquot septimanas emittit, ut ipse aliquando vidi; vocatur ab incolis, *lo Tare:* miror autem neminem adhuc hunc fontem observasse.

Sunt

Sunt etiam varij fontes frigidi, in Helveria, salutares. *Apud Glaronenses*, inquit Simler. com. de Alp. *in monte Wepchio fons est frigidissimus, quem aquæ solutarum nivium & glaciei in sinum quendam collectæ conficiunt, in hoc incolæ sese contra varios morbos immergunt, idque tertiò. præfrigore namq; diutiùs in aqua subsistere non possunt. Existimant autem hujus balnei usu aciem oculorum juvari, & auditum in senibus recuperari: Quidam verò in calidissimis febribus, & nonnunquam in dysenteria aquam frigidissimam, eamque potissimùm quæ ex glacie veteri soluta defluit, abundè ad vomitum usque bibunt, & ita sæpenumerò liberantur.*

In Visp ianorum, apud Vallesios, tractu, medicati quidam fontes aquæ frigidissimæ, ex durissimo saxo, tribus vel quatuor in locis prosiliunt, ex venis partim cupreis, partim aureis; ut colligit *Casp. Collin.* Ventrem laxare, à materia quacunque interna purgare, oculos caligantes ob quemcunque causam sanare, & alias membrorum partes restituere feruntur. Teste eodem *Collin.* apud quem vide fusiùs; ut & quæ habet de gelidissimo ac limpidissimo fonte à Sanct-Surgo, in jura monte sub D. Bernensium jurisdictione, qui insignis, ac adversus varios morbos utilis, hactenus habitus est.

Sunt & aquę acidulę apud Rhętos. 1. In Fridisij vallicula in tertio Rhætorũ fœdere: vo-

cantur aquę federicę, vel fideriane, à pago Fideris supra Ienatiũ; celebres sunt & tota Germania frequentatæ; cardiacis & ictericis aliisque internis morbis maximè conducunt; vide *Munst. lib. 3. Sprech. Pall. Rhæt. lib. 9.* Præcipuè verò elegans *Jacobi Eckholdi Medici Lindavienſis* de illarum viribus scriptum. 2. Propè S. Mauritium vicum in secundo Rhætorum fœdere, etiam acidulæ sunt, à Theophrasto Paracelso summoperè celebratæ. *Sprech. Pall. Rhæt. lib. 7.* 3. Optimus acidularum fons apud Scolium in Rhætia extat teste eodem *Sprech. lib. 8.* Habet quoque Helvetia fontes salsos. In ditione D. D. Bernensium, apud Antuates, sunt fontes salsi in monte supra Aquileam, in loco communiter dicto *Pané*, qui ex rupe marmorea prosilit, quia verò aqua dulcis salsæ miscebatur, multis impensis, per rupem arte concavatam conquisitus est fons aquæ dulcis, ut à salsa separaretur, quod an obtentum benè fuerit, nondum audivi. Unus ex fontibus salsis perijt jam ab aliquo tempore, quod ex illa aqua salsa reliquum est, per canales, ad vicũ *Roche* dictum, & duabus horis à fonte distantem, partim ducitur, ob ligni in coquenda aqua salsa necessarij oportunitatem. Repertus fuit quoque alius salsus fons in montibus supra Bactiacum (Bex) sed loco inoportuno, ob terræ ruinas. Visitur etiam hodie in præfectura Sanensi, in valle Estiven-

si

ſi (vulgò Eſtivaz, Germ. Leſſy) fonticulus ſalſus, quo tamen nemo utitur.

Apud Rhæros non longè à Caſtro Taraſpo, ſalſum fontem, à *Conrado Geſſnero* Medico, & *Johanne Fabritio* Montano, verſibus celebratum indicat *Sprech. Pall. Rhæt. lib. 8.* Apud Valleſianos, in conventu ſeu Deſeno Sedunenſi, Salſularum fons ante annos aliquot inventus fuerat, ut ait *Simler. deſc. Vall. lib. 1.* Sed hodie negligitur, tum quòd ſal illud non multum probetur, tum quòd maximi, in ſeparandâ aqua dulci, à ſalſa faciendi ſint ſumptus.

Sulphurei fontes in Helvetia ſunt varij, 1. In ditione D. D. Bernenſium, fonticulus quidam ſulphureus eſt in eadem valle Eſtivenſi, de qua modò ſermonem fecimus. Meminit *Collin.* fontis ſupra arcem Nobilium de Blonay, in præfectura Viviacenſi, albicantis, ac vehementer ſulphur olentis, & adverſus ſcabiem optimi. Apud Yverdunum fons olim celebris ſulphureus cernebatur, ſed temporum injuriâ, & hominum negligentiâ pene exolevit, ita ut pauca illius reperiantur veſtigia; ajunt hodiè, multos ibi eſſe ſerpentes.

2. In ditione Fryburgenſium propè pagum, vulgò dictum *Chermay*, in montibus ſitum, ſatis magnus viſitur fons ſulphureus, in quo lignum immerſum ſulphure ſuper inducitur, atque ſic flammam edit & odorem ſulphureum. Alios eſſe per Helvetiam ſulphu-

reos

reos & frigidos fontes, non dubito, sed mihi nondum cogniti sunt. *Ad thermas* quod attinet, maxima ex parte sulphureæ sunt, quales Brygenses, Badenses, Alvanienses; de his & alijs, apud Helvetios eorumq; fœderatos breviter agemus, priùs aliquid de thermarum calore dicturi. *Aristoteles* thermarum calorem à fulmine provenire existimavit, sed vis fulminis pestifera, qua ratione thermis vim salutiferam posset conferre? *Bartholinus de aq.* Subterraneo igni adscribit.

Horstius de nat. Therm. Nativo terræ calori, seu cuidam calido spiritui. *Sennertus scient. Nat. lib. 4. c. 10.* hoc fieri dicit à duabus aquis ad tactū frigidis in concursu ob spirituum repugnantiam incalescentibus; quod animadvertitur in oleo Tartari, & spiritu Vitrioli, item Tartari & aquæ fortis: quæ etsi ad tactum sint frigida, tamen si misceantur, incalescunt, & quidem ita, ut si repentè aquæ forti, in qua ferrum solutum est, oleum Tartari infundatur, non solùm ebulliat, sed & flammam mistura concipiat. Hæc postrema sententia multis arridet magis. In thermarum enumeratione ordinem regionum sequemur, ita ut nobis aliæ sint thermæ propriè Helveticæ, aliæ Rhæticæ, aliæ Vallesianæ.

Thermæ Badenses, non solùm ob salutarem earum usum, sed ob loci amœnitatem & opportunitatem celebres sunt; ita dicuntur ab oppido

pido hodie nominato *Baden* Germanicè, quæ vox balneum sonat: oppidum illud amœno salubrium aquarum frequens dicit *Tacitus hist. lib. 1.* Sunt autem thermæ infra oppidum propè pagum qui ad illarum usum constructus fuit: ibi varij sunt fontes calidi, tum propè fl. Ursam, tum & in ipso fluvio: sulphuris multum, aluminis parum habent; harum thermarum descriptionem vires vide apud *Munster. cosm. lib. 3.* Apud Tigurinos multum olim deferebatur utiq; Vulturino & Urdorffensi balneo, quorum illud Magnus Bullingerus ex usu haud obscurè commendabat, ut habet *cl. D. Hotting. meth. leg. hist. Hel. p. 242.*

Apud Rhætos sunt etiam variæ thermæ. Primùm inter eas tenent locum Fabarianæ, ita dictæ à Monasterio Fabario, aut apud fabarias (ut habet *Munster. lib. 3.* qui illas accuratè satis descripsit) Germ. Pfavers. *Locus celebris factus est*, inquit Sprech. Pall. Rhæt. lib. 3. *propter saluberrimas thermas ibidem propè, in vasto ac deformi, horribiliq; aspectu antro, Friderici. II. Imp. tempore, ab aucupe quodam (der Vogler) dicto, ex familia Alto-Balconorum nato, dum corvorum sylvestrium nidos indagaret, repertas.* Nullus in illis est odor ingratus, sulphur, aut nitrum redolens; procedunt siquidem ex venis auri & cupri teste *Munstero*. Has egregiè descripsit *Theophrastus Paracelsus*, & postea carminibus illustrarunt, *Carolus Pascalis*, Galliarum Regis

apud

apud Rhætos Legatus, *Iohannes Gulerus à Weineck*, Eques Auratus.

Thermæ Alvanienſes, ſeu Alvonovanæ, à vico Alvanio vel Alvinovo, *Alfenau*, in tertio Rhætorum fœdere, dictæ ſunt; ſulphureas, mulieribus, & febre diuturna laborantibus maximè conducentes eſſe teſtatur *Sprech. Pall. Rhæt. lib. 9.* Apud Baidenum, in valle Leguntina, in primo Rhætorum fœdere ſunt balnea pro febricitantibus admodum ſalubria. *Sprech. lib. 7. Pall. Rhæt.* Non longè à pago Lacuprato (Seevvyſ) in Alpibus eſt locus dictus Cany balneis admodum ſalubris, fœminis præſertim ſterilibus celebratus. *Sprech. lib. 9.* In valle Telina ſaluberrimæ conſpiciuntur thermæ, nomine S. Martini inſignitæ; quæ podagricis præſertim, Iſchiadicis, ſterilibus mulieribus, alijſque frigidis morbis conducere exiſtimantur: de quarum mirabili virtute, *Caſpar Sermundus* Medicus & *Gulerus* fusè ſcripſerunt.

In Valleſia thermæ ſunt tum apud Leucenſes, tum apud Brygianos. Leucenſes ſeu Leucianæ à præcipuo hujus conventus pago *Leucâ*, Leuck, denominantur, quamvis à Leucâ duabus horis diſtent: ſunt illæ in loco aditu difficili, rupibus arduis, & horrendis circundato: fontes quinque præcipui diverſis locis ſcaturientes ſunt, ijque calidi, nullius odoris, per cupri & auri, cum aliqua calcis portione, mine-

mineras defluentes. Istarum thermarum vires & descriptionem ampliorem pete ex *Munster. lib. 3. & ex Collino.* Brygentes thermæ, à Bryga vico dictæ sunt, à quo tamen occidentem versus mille & quingentis passibus distant: harum aqua limpida & calida est, sulphur valdè olens. Ex proximi montis ruinâ perijsse ante aliquot annos, audiveram, an restituræ fuerint, nescio. De his vide etiam supra dictos, *Munst. & Collin. & Siml. de Vall.* Est etiam in Veragris propè destructum oppidum Schellon aut Sallion, quidam fons tepidus, scabiem sanans. Referunt Historici, nigredinem contrahere, quidquid *Sibari* aspersum fuerit; & *Clitumnum* Umbriæ potum candidos boves facere: Certum apud Vallesianos, fontem esse, in conventu Vispiano, in valle Sas, in quem lapides conjecti rufo tinganur colore, hic fons tepidus est; terra quam suo delapsu attingit & conspergit, rufa fit; propterea Germanicè ab incolis dicitur der Rohtbach. *Collin.* In Alpibus Engadinorum fons est, qui quàquà fluit, omnia rubro inficit colore, terram, arenam, lapides, &c. hoc etiam mirus quod calculo laborantibus & leprosis mirè prosit; à Paracelso commendatus. *Frey.*

De aquis utilibus & salutaribus diximus: Noxijs quoque non prorsus caret Helvetia. Nos hîc, quæ *D. Hottinger. meth. leg. hist. Helvet. p. 240.* ex alijs authoribus habet, brevitatis ergo

ergo, afferemus. Sunt aquæ, quarum potus, vel gutturosos, vel alio modo vitiosos reddit, præsertim in Vallesia, vide *Siml. descr. Vall. lib. 1. & Dan. Eremit. in descr. Helvet. p. m. 499.* Negat tamen aquæ vitium esse, quod & divitibus rarò aquam bibentibus eveniat. Quasi non alio modo aqua nocere queat, quàm pota? Verba authoris sunt: Sunt & in his vallium nonnullæ strumosæ dictæ, eò quod earum incolæ grandibus sub gutture strumis sint, aquarum id vitio fieri autumant, falsa ratione; cùm & idem divitibus, aquam perrarò bibentibus, eveniat: nugantur alij, implere pituita artus & inflare aquas venis metallorum infectas. Ego incertas rei causas, in medio relinquam: nisi quis & loci vitio adscripserit; cum eadem ratione naturæ, ijsdem in locis sint & pagi, fatuis referti, nullo cibo humano, quidam & stercore & excrementis, alij fœno pascuntur: nudi etiam per hyemem incedunt: sono magis quam sermone utuntur, quippe qui à nullo mortalium intelligatur. Monstratur tamen & fons in agro Tigurino, paulò suprà, quà Taurus Rhenum ingreditur (Flaach vocatur; non Ilacah, ut est in notis *Dan. Erem. pag. 530.*) cujus aqua hausta, strumosos efficiat; & in Cicera valle amnis qui fatuos ac stolidos: Quarum rerum causæ in occulto latent; hæc *Hotting. Plinius* lib. 11. cap. 37. Strumas vitio aquarum tribuit: Aquas autem illas venenatis

nc ·tis quibusdam atomis repletas esse, ita ut quamvis limpidæ videantur non tamen magis puræ sint quàm urina aut lixivium; probabile est.

CAPUT XI.

De Rheno.

IN genere aliquid de fontibus diximus. Nunc aliquid de fluvijs dicendum. Sunt autem illi vel majores, vel minores. Majores vocamus, in quos alij rivi cum suorum nominum amissione influunt, inter hos *Rhenum & Rhodanum* censemus, quibus quoque *Arulam* adjungere liceret. De *Rheno* hoc capite. *Rhenus* à Græcis Scriptoribus, dictus est ῥῆνος, Latinis Rhenus & Rhenum in neutro genere, ut patet ex Horat. de arte Poet.

Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.

Germanis dicitur der Rhein vel Rhyn. Gallis *le Rhin*. Batavis *de Ryn*. De hujus ortu variè loquuntur veteres Historici & Geographi: quidam generaliùs, specialiùs alij illum describunt. Tacitus lib. de Germ. *Rhenus Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, &c.* Dio Coccejanus lib. 39. *Rhenus ex Alpibus Celticis paulò extra Rhætiam oritur.* Generaliùs adhuc Mela lib. 3. c. 2. *Rhenus ab Alpibus decidens, &c.* Cæsar lib. 1. bel. gal. *Rhenus oritur*

ex Lepontijs qui Alpes incolunt. Strabo lib. 4. *Apud Nantuates Rheni sunt fontes in Adula monte.* Marlianus; *Rhenus Germaniæ fluvius non longè à Danubij & Rhodani fontibus, & ferè in medio eorum oritur ex Lepontijs.* Sed hæc sententia Marliana errore non vacat. Meliùs Guilliman. *Rhenus ex monte Adula, qui pars orientalis summarum Alpium, sive S. Gotthardi, est, oritur.* Patet ex Tacito atque Mela, priscos Romanos, unum tantùm istius amnis fontem agnovisse: hodie tamen duo noscitantur ortus, duoq; alvei, cognomento anterior & posterior (Vorder Rhyn vnd Hinder Rhyn) 43. m. p. separatim fluentes, ut ait *Willichius in Tacit.* Tres verò Rheni fontes statuit *Vigenereus in Cæsar.* post *Simler. com. de Alp.* Rheni anterioris fons ex monte Crispalto: Rheni medij ex monte Lucumonio, ubi ex rupis cacumine *Cadelin* dicto nascitur amnis Erode, qui progrediens S. Barnabæ montem versus, exinde Rhenus medius dicitur: Rheni posterioris ex S. Bernardini monte, fontes oriuntur. Unde Cluver. eos errasse ait, qui *Virgilium* de his locurum credunt Æneid. 8.

Extremiq; hominum Morini, Rhenusque bicornis.

Tales sunt Rheni fontes. Medius cum anteriori miscetur infra Ilantium; anterior verò & posterior concurrunt infra Rerzuns: Exinde Rhenus unico alveo continetur, donec lacum Brigantinum apropinquans bipartitur:

tur: sic enim Vadianus in Mel. lib. 3. *Lacum Acronium gemino alveo ingreditur, quorum alterum vetusti Rheni cognomine, vocant accolæ, palustri effigie adeò tardum, ut quam in partem eat observes vix: alterum Rheni nomine plenis ripis, tanta vi, undas emittentem, ut candidus amnis fluxus, suum inter cæruleas lacus undas iter, in multam à littore distantiam retineat.* Notandum verò, quod Mela ait lib. 3. cap. 2. *Propè à capite duos lacus efficit Venetum & Acronium.* Dicit ille, *propè*, maxima est distantia à Rheni fontibus ad lacus influxum usque, sicut eam ad XC. m. p. refert *Cluver.* A fontibus autem suis ad anterioris & posterioris confluxum magis orientem versus respicit, postmodum ad septentrionem incurvatur; donec lacum Cellensem egressus, ad occidentem cursum dirigat, varias urbes alluens: ab urbe verò Basilea in septentrionem, quandoque in occidentem parùm profluit; quò respexit Tacitus. *Modico flexu*, inquit ille, *in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur*, & Dio lib. 39. *Versus occidentem profluens ad sinistram Galliam ejusq; incolas, ad dextram Celtas dividit; tandemque in Oceanum exit.* Hoc verò de universo ejus cursu, aut maxima parte intelligendum esse vult *Cluver. lib. 2. c. 40.* Sic igitur Rhenus ad Lacum Constantiensem usque, Rhætos ab Helvetia; ab illo lacu Basileam usque Helvetios à Germanis dividit; quod & agnovit Cæsar. Sed de hoc fluvio

plura differendi locum illis per quorum fines fertur, relinquemus: solùm hoc annotabimus. Sicut hic fluvius tres fontes, unde oritur, ita tria ostia, ex quibus in mare influit, haber. Tria Rheni cornua testibus *Althamero in Tacit. & Glarean. in Cæs.* à Germanis hodie nóminantur, Wahalis vulg. *Wael:* Lecca, *Leck:* Jsella, *Yssel.* horum postremum olim non erat, unde Virgilio ignotum, qui Rhenum vocat tantùm *bicornem*, sed à Druso adversùs Germanos bellum gerente, ductâ à Rheno ad mare fossâ, effectum est, ut munimentum adversùs Barbarorum incursus, esset. Hic fluvius inter maximos à Veteribus habitus est. Herodianus lib. 6. *Hi maximi amnium sub septentrione feruntur Rhenus ac Danubius.* Cæsar *latissimum atque altissimum* dicit. lib. 1. bel. gal. *Latum* quoque agnoscit Poëta Bartholinus:

Obtulit & lato vicina colonia Rheno.

Verum quidem Rhenum à sua origine modicum esse; interim quò magis progreditur ulteriùs, eò multis rivis undique concurrentibus, ac liquaris nivibus adjutus magis augetur, quousque lacum ingrediatur Acronium, ut loquitur in Melam Olivarius. Sic de hoc Vadianus in Exp. Mel. *Constat experientiâ Rhenum à fontibus, sole juxta cancri tropicum obversante, propter Rhæticarum Alpium liquefactas nives, & anteactæ hyemis ratione, plus minusve crescere, noxia plerumque accolis undarum vi longè lateq; intu-*

intumescente, maximè ubi imbrium ubertas effluvium auxerit. De Rheno *Mantuanus*.

Ut Rhenus cursu violentus & unda, &c.

Conradus Celtes Germ. eum vocat impigrum, item rapidùm.

---*Rapidus gelato flumine Rhenus.*

Quamvis autem magnus & rapidus sit, tamen sæviente frigore congelatur, teste *Herodiano* lib. 6. ubi de Rheno & Danubio loquens sic ait. *Æstate quidem navigabiles sunt, altissimo latissmoq; alveo: per hyemem concreti gelu, & amorum in morem pereq uitantur, est autem adeò alvei solida glacies, &c.* Propterea *Ausonius* gelidũ vocat.

Bissula trans gelidum stirpe & lare prosata Rhenum. Sic *Lucanus* lib. 2.

---*Rheni gelidis quod fugit ab undis.*

Priscianus glacialem nominat; & *Lucan.* lib. 1. Spumantem dicit:

Fregit & Arctoo spumantem vertice Rhenum.

Hoc maximè contingit quibusdam in locis, ubi aqua per rupes & cataractas præcipitatur. Ad Rheni cataractas multi obstupescunt, cùm vident ingentem fluvium immani fragore ex alto scopulo præcipitari, ita ut vicina loca latè aspergat, & nebulam quodammodo ripæ offundat. *Simler. com. de Alp.* De Rheni infra Scaphusium cataractis vid. *Munst. lib. 3.* Audiendus Frey cap. 2. adm. Gall. *Rhenus fluvius profundissimus, & mirus geminis cataractis, dum plurimis auctus aquis, lacumq; impermistis*

undis emensus, in subjectos ex altis rupibus scopulos tanto fremitu præceps devolvitur, ut nocte, ventis nubibusq; libera, ad quatuor leucas exaudiatur: & quòd idem flumen clementius sit ripa Gallica, periculosius verò turbulentiusq; Germanica.

De Rheno hoc mirabile narratur, nempe quòd hic fluvius Celtarum infantes, intra sinum suum coniectos, si pollutâ matris pudicitiâ suscepti essent, tanquam impuri lecti vindex rapidis vorticibus suffocare consueſceret, quos autem legitimo & impolluto matrimonio natos sensisset, in portum placidis aquis deferret; referente Iuliano in Epist. ad Maximum, & post hunc *Nazianzeno* hoc versu:

Celtæ quidem explorant, prolem Rheni fluentis.

Videre quoq; hoc est, ex quodam epigrammate Græco, ubi inter alia hoc dicitur; *ipse scuto imposuit novum puerum.* Sic *Claudianus* in Ruffinum. lib. 3.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Idem quoque testantur *Nonnus* lib. 23. & 46. *Theophilactus*, & *Eustathius* in Dionys. Alex. Sed cum vox Celtæ generaliter Gallos, Germanosq; designet, quæritur, de quibus hoc intelligendum? I. Non de Germanis intelligendum esse credit *Cluver.* quòd Tacitus, exactus Germanicorum morum descriptor, istius rei non meminerit. II. Hoc de Gallis accipiendum conjecturæ ex authoribus excerptæ magis probant, imò de Helvetijs & Sequanis

quanis. Helvetios ut & alios, suos liberos in Rhenum immersisse ad eos indurandos, ut suo loco dicemus, ex *Strabone* & *Galeno* patet, sed ad discernendos à legitimis spurios, non ita certum, cùm *Iulianus* non dicat se hoc vidisse, sed audivisse. Nos cum *Cluverio* figmentum esse veremur. Si quis super hoc argumento plura quærat, videat *Cluver.* lib. 1. c. 21. item *Vadianum* in Mel. lib. 3. Qui etiam hujus rei ante Cluver. mentionem fecit. De Salmonibus Rheni sic *Frey*, cap. 7. *Salmones fluviatiles licèt in Gallia multi, maximè tamen in Rheno proveniunt, non ut vulgus arbitratur, quòd in mari nati adversum flumen petant, sed postquam in Rheno, jam biennes mare petunt, & selle carent; at postquam mari ita sunt satiati, saginatique, ut libras aliquando vel 20. pendere accolæ Rheni noverint, Rhenum repetunt, & cùm cataractas superare nequeant, ingenti multitudine capiuntur.* Atque hæc de Rheno Germanico, quem ita nominamus ad differentiam, alius Rheni à *Paul. Merula* par. 2. lib. 4. cap. 11. Parvi nominati, & in Apennino infra Pistorium nati, ut notat *Leander.*

CAPUT XII.

De Rhodano.

RHodanus, Ῥοδανὸς, antiquioribus Græcis dicitur is amnis, qui in Vistulâ apud

Gedanium oppidum defluens, vulgò dicitur *Reddaune*, vel *Reddune*, unde maxima apud illos horum trium fluviorum, *Rhodani*, *Eridani*, seu *Padi*, atque *Vistulæ* confusio referente *Cluver. lib. 3. cap. 49.* *Merula* fluvium Eridanum nominasse *Oppianum* in Halieut. lib. 4. & *Philostratum* in viris Sophist. memorat. *Plinius* lib. 3. cap. 4. ab Rhoda, Rhodiorum in illo tractu colonia nomen impositum scribit. Sic *D. Hieronymus* in ep. ad Gal. de Lugdunò. *Oppidum Rhodani coloni Rhodiorum locaverunt, unde omnis Rhodanus nomen accepit*, in hac sententia sunt *Volater.* lib. 3. & *Sabellic.* Enn. 5. lib. 1. *Nomen fluvio*, inquit, *dedit Rhoda oppidum in Narbonensi Gallia, à Rhodiis conditum.* Sed hoc obscurum satis: potius Rhodanus à rodendo, dicendus esset, quòd ripas suas rodat. *Munst. lib. 3. cos.* unde etiam sæpè sine aspiratione scribitur, dicitur quandoq; Rhodanum in genere neutro. De istius fluvij fontibus variè scriptores. Mela lib. 2. cap. 5. *Rhodanus non longè ab Istri, Rhenique fontibus surgit*; idem in Hannib. vita scribit *Plutarch.* Marcellin. lib. 15. *A Pœninis Alpibus effusiore copia fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat*, videatur & *Plinius* lib. 3. cap. 4. Item *Strabo* lib. 4. *Rhodanus ab Alpibus magnus, magno defluit impetu.* *Polybius* eum tribus fontibus oriri supra intimum maris Adriaci recessum, mox Lemano lacu excipi, dicit, teste *Sabell.*

Sabell. Enn. 5. lib. I. *Marlianus & Merula*, illius ortum constituunt, non longè à Danubij, Rheni, Arolæ, Ticini, &c. Fontibus, circa fines diœcesis Sedunensis, propè montem, cui nunc *Briga* nomen est, sed non ita accuratè: meliùs *Munsterus*, *Stumpfius* & *Vigenereus*, illius fontes in monte Furcæ collocant.

Sed ut aliquid specialiùs super hac re dicamus; notandum varios esse fontes, unde Rhodanus oriatur, inter quos maximè conspiciuntur tres in extremis Vallesianorum finibus, in conventu Gomesiano: à sua origine procedens, occidentem versus fertur, atque totam Vallesiam irrigat, donec varijs rivis auctus, paludi sese ingurgitet nomine Lemano, ut loquitur *Marcellinus*. Quidam ex liquatis nivibus originem habere dixerunt cum *Silio*:

Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali
Prosilit.

Vallesiani tamen limpidissimum in meridionali loco è terra scaturientem fontem, pro vera Rhodani origine demonstrant, vide Simler. Descr. Valles. lib. 1. fusè.

Porrò audiendus est Ausonius qui de Rhodano sic loquitur.

Quà rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno,
Interiusq; premunt Aquitanica rura Gebennæ.

Sed decipitur bonus ille Poëta, nisi valeant Merulæ excusationes. *Sic loquitur Ausonius*, inquit Merula par. 2. lib. 3. cap. 10. *non quòd*

Rhodanum generet lacus, ſed quòd Rhodanus lacu egreſſus fiat quaſi auctior, ejusq; aliquantam auferat, cum ſuis aquarum vim, ut tumidior pleniorq; procedat. Pomponius Mela lib. 3. c. 3. Germaniæ fluvium videtur agnoſcere, fortè quòd, ut ait Merula, fons illius apud Germanos, potiùs quàm Gallos ſit. *Idem tamen lib. 2. c. 5.* diſertis verbis inter Galliæ flumina deſcribit; unde putant quidam priore loco, apud Melam, Rhenum pro Rhodano reponendum. *Plinius* lib. 3. c. 4. Galliæ Narbonenſis fluvium facit. *Sidonius Apollinaris* inter Galliæ flumina collocat. ſic quoque *Tibullus* lib. 1. eclog. 7.

Teſtis Arar, Rhodanusq; celer, magnusq; Garumna.

Nos originaliter Helvetiæ fluvium aſſerimus, imò & illius ad Lemanum lacum uſque progreſſus reſpectu, à quo Gallis eum relinquimus; unde Mela; *Amnium in alias gentes exeuntium Danubius & Rhodanus.* Varro unum ex tribus maximis Europæ fluminibus eſſe arbitratur. *Volaterr. lib. 3.* omnium Galliæ maximum nominat; *Marcellin.* maximi nominis flumen. In ſummis caloribus mirum in modum, exliquefactis Alpium nivibus augetur, ita ut multa tertis damna inferat: fertur impetuosè, imò furere videtur, unde non fruſtrà *Silius* vocat.

- Rodanumq; furentem.

& lib. 3. ſic canit

- - Tumidiq; minaces

Accedit

Accedit Rhodani festino milite ripas.

Tibullus, *celerem*, Volateranus *rapidissimum*, Munster. *impetuosum*, dicunt, Faustus verò sic loquitur.

Rauciſonò Rhodanus fluit agmine præceps.

Solinus c. 8. *Amnis præcipitatus Alpibus primò per Helvetios ruit, occurſantium aquarum agmina ſecum trahens.* Rhodanum fluviorum Galliæ fertiliſsimum ex Plinio vocat Simler. Deſc. Vall. lib. 1. Alit enim, inter alios piſces, maximas Truttas. De hoc fluvio, apud veteres narratur mirabile. *Mel.* lib. 3. c. 5. *Rhodanus Lemano lacu acceptus tenet impetum, ſeq; per medium integer agens, quantus venit egreditur.* Marcell. lib. 15. *Paludi ſeſe ingurgitat nomine Lemano, eamq; intermeans, nusquam aquis miſcetur externis.* Idem quoq; aſſerit Plinius lib. 2. c. 103. Id ſe vidiſſe teſtatur Merula par. 2. lib. 3. c. 9. ubi ita loquitur. *Lacum Lemanum apud pagum Novam Villam (Noville) ingreſſus, ſervato ferè colore (quem ipſe qui lacum ſæpiſsime navigavi, & familiariſsimè etiam cum periculo meo novi, viridiorem animadverti, aquam autem fluvij limpidam pellucidamq;: cùm quæ erat ipſius lacus craſsior eſſet, & à terrena fece impurior) permeat.*

CAPUT XIII.

De reliquis Helvetiæ fluvijs.

ATque de duobus maximis Helvetiæ fluminibus actum; de minoribus agendum;

dum: hi omnes vel immediatè vel mediatè in illos diffunduntur. Inter quos præcipui nominis est *Arola*, vel *Arula*, Germanis *Aar*, vel *Are*; tum quòd longum habeat cursum, tum etiam, quòd infinitos fermè rivos cum illorum nominibus absorbeat; & diversas Helvetiæ oras irriget: unde etiam regio ipsa, multaq; oppida nomẽ trahunt, veluti Argovia, Arberg/ Arwangen/ Arburg/ Aaraw/ &c. Ejus origo secundùm quosdam est in monte Grimsel, à S. Gotthardo non longè disiro, supra locum dictum *Spital*, in summa valle Haslensi (vulgò Hasliländt) ubi post aliquod intervallum duo laculi in Arulam influunt. Alij ejus fontem, in montibus, ad vallis Frutingensis orientem sitis quærunt, & quidem ad radices montis vocati *Schrekhorn*. Recipit autem diversos rivulos in valle Haslensi, quam præterfluit Arula: postmodum lacubus Brienrzensi (*Brientzersee*) & Thunensi (*Thunersee*) effluens, alios fluvios iterum recipit; præcipuorum quorundam mentionem faciemus. *Kandel* (ut est in tabulis Geogr.) vel *Kander* (ut vulgò nuncupatur) ortus ex montibus, thermis Leucensibus, vicinis Frutingensem vallem alluit: cum hoc fluvio confluunt, servato tamen suo nomine, *Engstlen*, infra Frutingen; & *Simnen*, vallem vulgò dictam Simnenthal, vel Sibenthal, infra Wimmis: tandem hi omnes fluvij Arulæ immiscentur infra oppi-

dum

dum Thun. Recipit quoque Arula fluvium *Girben* supra Bernam: postea fluvium *Sanam* (ita dictũ, quia Sanensem vallem, Sanerthal, prætərlabitur, & in illius montibus oritur) supra Arberg, in quem priùs influxit fluvius *Sensa*, vulgò die Sensen/ infra Laupen: Deinde fl. Thelam, Gall. La Thiele vel La Teile: Germ. die Zil) per quem lacus Ebrodunensis, Muratensis & Nidovienſis in Arolam se exonerant, apud Meyenried, supra oppidum Büren. *D. Gaudard.*

Emma aut Aũa, major (ad minoris differentiam, quæ apud Entlibuochanos orta, infra Lucernã se in Ursam exonerat) oritur in superiori Eẽnthal, supra Tschangnavv in montibus lacui Brientzensi vicinis, Habcheren versus, per mediũ Argovię superioris fluit & infra Solodurũ Arolã influit. Sabuli auri ferax est, teste *Simlero com. de Alp.* idque maximè ubi rivus χρυσοφόρος vulgò *Goldbach* ei se miscet supra oppidum Burgdorf, annotante *D. Gaudardo.*

Inde etiam à dextra recipit rivos, *Öntz, Langenthal, Root, Pfafferen, & Wiger*, qui supra Willisavv ortus, Zoffingam alluit, & supra Aarburg, Arolam intrat: ubi ferè ab altera parte, paulò inferiùs etiam fl. *Dinneren* in monte Jura ortus, se Arolæ miscet. Mox fl. *Sur*, supra lacum ejusdem nominis (vulgò Surſee, vel Sempacherſee) ortus, recepto priùs ad dextram fl. *Wünen*, infra Aroviam (Aarau) ferè

è regio-

è regione castri Biberstein, etiam in Arolam se præcipitat. Huic mox succedit fl. *Aa*, qui supra Baldeck in Sempachianis montibus, Lucernam versus, ortus, duobusq; lacubus, Ruchensi & Hallvvylensi (Ruchensee & Hallvvyllersee) egressus, & Lentzburgum præterlapsus, recepto priùs etiam ad dextram fl. *Bintz*, supra Wildeck in Arolam influit. *D. Gaudard.*

Ursa, aut etiam *Russa*, Germ. Rüss. oritur ex palude vel parvulo lacu, qui est in valle pervia, inter duo suprema S. Gotthardi juga, (*ut observavit idem D. Gaudard*) unde septentrionem versus effluit, ac per Uranios cursum suũ dirigit, donec lacum Lucernensem vel Sylvanienſem (vulg. der Lucernersee / vel der Vier Waldstätten See) ingrediatur. *Simlero* MS C. dictus videtur hic fluvius, ab Ursarijs populis (ubi Urseren ad radices ferè S. Gotthardi) qui pro insignibus habent ursum; unde vulgus per metathesin literæ *Russam* vocat. Egressus ex lacu Lucernensi & in sinum suum receptis fluvijs *Emma minore* infra Lucernam, & rivõ Tugiensi infra Meyenbergam, tandem se infra oppidum Brut in Arulam dat præcipitem. Testatur *Simlerus* Ursam aurum fore, unde Lucernates multi studiosè auri ramenta colligunt, maximè quando imbribus aut nivibus solutis vicina prata inundat, tum enim fabuli auri ramentis deferre solet.

Linma-

Limmagus, vel *Limagus*, vel *Lindemagus* & *Lindemacus*, ut ex veteribus actis refert Guillim. in Habsp. Otthoni Frisigensi Lemanus, sed vitiosè, Germ. *Limmath*, *Limet*, & *Limat*. In Glaronensium territorio oritur, lacum Wesenium præterfluit, postmodum etiam Tigurinum, ex quo effluens Tigurum bipartitur, Badam alluit, & tandem etiam in Arulam diffunditur. Sed hæc dicta sufficiánt de amnibus notatu dignioribus in Arulam influentibus; sunt quidem alij maximo numero rivi & fluvioli, de quibus omnibus loqui operosum nimis, imò tædiosum esset: de illis in peculiari locorum descriptione, si Deus dederit.

Thaurus, aut *Durus*, Germ. Thur aut Dur originem habet in montibus Werdembergisibus, aut in Toggijs, suprá pagum qui sylvestris domus nominatur, & Zuinglij patria fuit. A fonte septentrionem versus decurrit, Turgoviam, cui fortè nomen dedit, irrigat: à Finibus (Pfin) in occidentem curvatur, donec ad Schellembergam in Rhenum influat. Recipit quoque Thaurus plurimos amnes de quibus nunc aliquid dicere non multùm juvat.

Tosa Germ. Toss. (non eum hic intelligimus, qui ex Sempronio ortus Italiam versùs decurrit latinè Athiosa) in Glaronensium confinibus nascitur, in monte qui à cornu

apud

apud Germanos nomen invenit, Hurnli. Comitatum Kyburgiensem praeterfluit, rivum, *Eülach*, Vitodurum alluens recipit, tandem inter Rynsbergam & Eglisovium Rheno miscetur.

Apud Rauracos & eorum vicinos, quidam etiã amnes conspiciũtur, inter quos sunt: *Byrsa* amnis in monte jura ortus & multas valles praeterlapsus, rates varijque generis & usus ligna secum Basileam magnam usque trahit: ducta ibi fossa est ad molendinorum usum *Mercator in suo Alt. min. Munst. lib. 3.* *Wiesa* alius fluvius, Byrsa quidem minor, interim magis parvae Basileae opportunus, piscationi, varij generis molendinis, & adducendis ad aedificia lignis, commodus, ab Hercinia sylva profluit. *Munst. lib. 3.* Meminit quoque *Simler.* MSC. cujusdam fluvioli, quem nominat *Ergentz*, à quo (ut ait) putant quidam Rauracos dictos, pagum Arragove, ut ex literis Arnulphi Imperatoris, quae in S. Galli coenobio asservantur, videre est.

Fluvios, quos Rhodanus capit in Vallesia (potiùs rivos & torrentes nominare licet) quod attinet, de illis pauca habemus dicenda nunc, eos ad peculiarem Vallesiae descriptionem referre juvat. Hic pro fine annotabimus aliquid de fluvio aut potius torrente, qui infrà, & propè Genevam Rhodano miscetur; vocatur *Arua*, (non Arna, ut vult Frey cap. 9.)

cap. 9.) is tanto sæpè aquarum impetu fertur, ut Rhodani cursum impediat, & ad lacum regredi cogatur, unde fit, ut Pistrina Genevensia, inter lacum & Aruæ confluentũ, contrario motu moveantur ac molant: quod ad an. 1572. observatum est à *Casaubono ad lib. 4. Geog. Strabon. & à Thuano lib. 47.* De Rhætiæ nobilioribus fluvijs alibi, data occasione, agemus.

CAPUT XIV.

De Duobus Majoribus Helvetiæ Lacubus.

SEquuntur nunc *Lacus*, quibus Helvetia abundat. Sunt autem illi vel majores ut *Lemanus & Brigantinus*; vel minores, de quibus capite sequenti: de duobus illis verò hoc capite.

In duobus Helvetiæ extremis positi sunt totâ Europâ celebres illi duo lacus, *Lemanus* à Sabaudia, Brigantinus à Suevia, Helvetiam dirimentes. Primas verò tenet Lacus *Lemanus*, quod omnium Europæ lacuum navigationis patientissimus, & maximus sit: sicut enim lacus grandes Hebræis maria dicebantur, ut ex Evangelio videre est; *Salmas. in Solin. p. 614.* (Annotat *D. Gaudard.* hoc adhuc in Germania inferiori, & apud omnes septentrionales in usu esse; quod enim Helvetij & omnes Germani superiores, *See*, id est, lacum nominant, illi *Meer*, mare dicunt, & contrà): Ita etiam Le-

manus accolis quibusdam mare audit, & sanè sæpe maris instar sævit, ut ait *Merul.* par. 2. lib. 3. c. 43. Hic lacus jam antiquissimis temporibus, *Lemanus* ab Authoribus vocatus fuit: vetustissimi variorum authorum codices. N, in Lemano geminat, quod maximè apud Poëtas locum habet. Extant adhuc hodie ab utraq; lacus ripa duo vici illius nominis vestigia retinentes. *Strabo lib. 4.* vocat lacum magnum ex quo exit Rhodanus, item πελαμένα λιμνη, ut est in *Casaubon.* codice, vel in manusc. πελαμένα, & alio ejusdem libri loco λιμέναν. *Nanus Pintianus cast. in Mel.* refert apud Strabonem vocatum *Limennam*, & apud Ptolomeum limene, λιμάνη. Unde verò *Lemani* nomen fluxerit, non omnium eadem est sententia. Fingunt Vaudi chronica quendam regem nominatum *Lemanum* Paradis filium fuisse, qui lacum & vicinam regionem de se nominaverit. Dicunt alij Lemanum Alemannorum patrem fuisse: *Munster.* de hoc Lemano ejusq; gestis, ex quibusdam antiquis Manetì Ægyptij & Pierronij authoris Græci loquitur. *Bergeronus in sum. temp.* refert tempore Ehud circa annum mundi 2612. in Gallia *Lemanum* regnasse, à quo lacui nomen inditum. *Albertus* ab Alemannis Lemanum lacum vocare voluit, referente *Vadiano in Mel. p. 172.* sed fallitur, cùm Lemanum, Constantiensem esse putaverit,

rit, per quem Rhenus fluat, ut ostendit idem *Vadianus* in quadam ad Rudolph. Agricol. Epist. Forsan *Lemani* vocabulum, à Græco λίμνη, corruptum fuerit, unde hic lacus ita per excellentiam vocatus sit; alij verò tantùm paludes; sic *Strabo*, uti diximus, vocat λίμνας μεγάλας. *Antoninus in Itinerario* eum nominat *Lausonium*; in quibusdam exemplaribus est *Lausinius*; in tabula Peutingeriana, legit *Merula*, lacui supra scriptum, locum *Losonne*, inscriptum verò, lacus *Losanete* vitiosè, nisi sic Theodosij Imperatoris ævum enuntiarit. Hodie ab oppidis ripæ adsitis denominatur; pars quidem orientalior, communiter dicitur *Lac de Lausane*, *lacus Lausanensis*, sive *Lauxanæ*, ut scribit Sabellic. Enn. 6. lib. 5. sed non ita benè: pars occidentalior, lacus Genevensis, Germanis modò *Genfferſee*, modò *Lausanerſee* dicitur. Istius lacus latera oppidis aliquot utrimq; vestiuntur, quorum tamen nobiliora sunt, quæ ad septentrionalem ripam sedent, primas inter ea sibi vindicante Lausanna.

Maxima Geographorum pars hunc lacum in Gallia collocat, sic eum describit Sulpitius. *Lacus est Galliæ Cisalpinæ, per quem Rhodanus Ararim deferens rapitur, is Helvetios à Gallia separat, suisq; accolis Lemannorum indidit nomen.* Mela lib. 2. c. 5. Galliam in duas partes per lacum Lemanum dividit. Ejus longitudo litora-

lis, quà Helvetios respicit, est sedecim horaram, aut juxta *Turquetum* tantùm quindecim; latitudo ejus maxima est trium imò quatuor leucarum; sive, ut ait *Coignetus in* Epist. Ortel. longitudo ejus ad octo milliaria Germanica, aut paulò amplius protenditur, latitudo ad tria ferè accedit. *Munst. lib. 3.*

Habet hic lacus varia promontoria & diversos portus, item & hoc notatu dignum, quòd in extremis caloribus extraordinariè tumeat & augeatur, cùm alij decrescant, crescunt verò per pluviosas hyemes & liquefactas nives. Vulgus lacui Lemano hoc contingere credit, quia herba quædam, accolis, *herba lacus*, dicta (species est musci marini) tum temporis frequens in lacus fundo generetur, aut quia Rhodanus in extraordinarijs caloribus, ob liquefactas in summis Alpibus nives, mirum in modum excrescat; sed hæ non sunt sufficientes causæ; nec enim semper ob herbæ illius copiam, aut ob aquarum Rhodani abundantiam tumet lacus: crediderim potiùs, maris instar, caloris solaris vi, illius aquas tumere, & quasi ad ebullientis ollæ similitudinem inferveſcere.

Hoc etiam huic lacui est proprium, quòd flante nullo in superficie vento, facilè idq; admodum turbetur, sæpè non sine navigantium periculo, ab aliquo interiore vento, in imo (ut ferunt) lacus fundo latente, & accolis

lis *la Vaudaiſe*, aut *Vaudaire* nominato, motus. *Frey. cap. 9. adm. Gal.* de hoc lacu ſic loquitur. *Lacus Lemanus his præſertim quatuor mirandus: quòd maximus Galliarum, quòd ventis ex ipſo fundo aſſurgentibus attollatur, ſereno aliàs & quieto cœlo: quòd, ut Gregorij verba ſunt, piſces Truttas centum librarum ferat: & quòd Germanis quos jam Alemannos vocamus, nomen dederit, ut viſum multis.*

Notandum autem quod de eo ſcribit Cæſar lib. 1. *A Lacu Lemano qui in flumen Rhodanum influit, ad montem juram, &c.* An verum illud? inquit Merula; *Res ipſa ſequius loquitur, Rhodanus lacum influit, non lacus Rhodanum, authorem non capio, niſi legatur* unicâ mutatâ literâ, quẽ, *pro*, qui in, *flumen Rhodanum influit. Turbavit vox Rhodanum eòs qui non intellexerunt etiam dici Rhodanum in genere neutro; ſicut flumen Rhenum apud alios, & ſimilia, ut à Criticis ſatis eſt probatum.* Hanc non enervat conjecturam *Auſonius*, qui in Narbonis elogio *Lemanum* Rhodani genitorem appellat, quod qua ratione intelligendum ſit, ſupra capite XII. oſtendimus. De hoc lacu Poëtæ. *Lucan. lib. 1. bel. phars.*

Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Dicitur cavus, vel ob ripas, quibus incluſus jacet, utrinque eminentiores; vel ob diverſas voragines, aut gurgites; tanta enim quibuſdam in locis eſt profunditas, ut comperiri quingentis origijs à nautis non potuerit. *Mantuanus* modò liquidum, modò gelidum vocat.

Agmine in extremo liquidi gens dura Lemāni. Itē,
Hac veniunt gelidi quos nominat unda Lemanni.

Quare verò eum gelidum nominet, nescio, nunquam enim congelatur, quamvis Mercator congelari rarò dicat, præsupponens, aliquando hoc fieri: quin contrà, quò magis frigescit, eò magis instar fumi vapores exhalat. *Bartholinus* de hoc lacu quoque canit.

Ostrifero madidum caput occultare Lemanno.

Utrum verò legendū sit ostrifero, an œstrifero nihil refert, cùm utrumque verum sit, & ostreas, id est, conchas fert, & œstros, id est, Tabanos, maximo numero in æstate habet, qui circumagentibus sæpè molesti sunt.

ALTER lacus Lemanum magnitudine æquiparans, is est quem Plinius, Solinus & alij *Brigantinum* aut *Brigantium* appellant, ab antiquo oppido Brigantio; ubi prætereunda non videtur *Bodini* conjectura, qua credit latrones, Gallis, *Brigands*, nomen à populis circa *lacum Brigantium* incolentibus accepisse; restatur siquidem Strabo illos latrocinijs fuisse deditos. *Ammianus & Mela* hunc vocant; *Acromium*, aut *Acromum*, alij *Potamicum, Venetum, &c.* Circa hæc varia nomina *Vadiani* judicium audiamus in Epist. ad Rudolph. Agricol. ubi sic ille. *Volaterranus Acromum lacum Bodinæ, vocabulo non sanè fœliciter excogitato nominat; sed melius Podmicus aut Podamicus, der Podmersee, ab antiqua familia Nobiliū de Podmen, quorū nomen adhuc durat,*

dici-

dicitur. Valafridus vocat Potmicum, à ποταμὸς, quòd fluvijs augeatur, &c. Nisi quis Bodicum, seu Botigum dicere malit, hoc est fundo carentem. Crediit etiam Vadianus apud Melam legendum potiùs *Acronium*, quàm *Acromum*, qua voce indicari posset, lacum hunc nunquam gelu obdurari; Græci enim Oceanum glaciale *cronium* id est, Saturninum & frigidum, tardumq; appellarunt, authoribus inter alios *Ptolomeo, & Plinio lib. 4. cap. 13.* Quoniam verò hic lacus quasi in duos dividitur, ita eum distingunt eruditi, ut *Venetus* (à calore marino, qui cæruleus est, ita dictus, ut pluribus refert *Vadianus*, vel à populis Venetis, ut vult *Munster.*) is sit qui nunc *Constantiensis*, ab urbe Constantia, & *Podamicus* ab oppido Podmen, vulgò vocabulo detorto, *der Bodensee*, nominatur. *Acronius* verò is sit, quem Inferum appellant, vulgò, *der Undersee* & *Cellersee*, id est, lacus *Cellensis*, ab oppido Cella; atque hæc est *Vadiani & Cluverij lib. 2. c. 40. Germ. ant.* sententia; quæ præferenda illi, in qua est *Olivarius in Melam, Munster. lib. 3.* contrarium enim sentiunt, dum Venetum, inferiorem & Cellarium superiorem esse censent.

Non convenit inter omnes de longitudine & latitudine. *Hic lacus*, inquit Strabo, *in ambitu habet stadia amplius CCC. trajectus verò propè CC.* Amianus lib. 15. eum fusè satis describit, & penè tam latum esse, quàm longum, ait; sed

decipitur Ammianus, *Vadiani* judicio: constat enim XII. m. p. ubi latissimus est, non excedere, cùm longitudinem habeat passuum non minùs 24. mil. Dicit quoque *Cluver.* Strabonem & Marcellinum errasse, quòd quædam adjectæ sint paludes, & summa ejus longitudo sit 40. m. p. latitudo maxima 6. m. p. *Munst. lib. 3.* illius longitudinem extendit ad sex aut septem milliaria Germanica; latitudinem ad duo, & alicubi ad tria. *Mercator* longum facit 24. milliar. latum verò 12.

Asserit etiam *Vadianus* in Mel. lib. 3. Falsissimum esse, hunc lacum aquæ limosæ esse, cujus colluvie Rheni undæ nec tardentur, nec inquinentur, ut refert *Marcellin.* & Rhenum suas aquas non miscere, sicut cum eodem Marcel. credunt nonnulli, puram & limpidam illius lacus aquam esse refert *Munster.* lib. 3. Est autem hic lacus amœnus, amœna quoque circumvicina regio, & urbes ac arces frequentes ad ripas sitæ; omnia circa illum vinetis, pomarijsque cultissima, paucis in locis mollior littorum planities, scirpo & arundine sterilis est. *Gallias*, inquit Frey. cap. 2. adm. Gal. 1. *finit lacus Brigantinus, hoc mirus, quòd quemadmodum aliquæ singulis annis cœlum mutant aves; ita hîc pisces innumero numero cœlum, ne dicam an aquam? mutent.* Habet hic lacus quasdam insulas; prima ea est, ubi sita urbs Lindavium Lindaw / ad orientem Arbonæ, qua

pro

pro receptaculo Tiberius cum Vindelicis navali certans pugna, usus est: videatur *Strabo lib. 7. & Guillim.* pag. 149. Altera locum habet vulgò dictum Maynou. Tertia est in lacu Cellensi, ubi visitur Abbatia, Richenovium nominata. *De his Munst. lib. 3. fusè.*

Marcellinus hos duos lacus suo more paludes nominat, sed non ita accuratè: à physicis enim definitur lacus, aqua stagnans & perpetuò durans: palus verò, aqua stagnans perpetuitate carens: differt palus à lacu, sicut torrens à fluvio.

CAPUT XV.

De reliquis minoribus Helvetiæ lacubus.

DE duobus majoribus Helvetiæ lacubus verba fecimus: jam alij his minores sequuntur: in quorum descriptione naturæ ordinem sequemur.

Lacus Neocomensis, Germ. Newenburgersee/ ita dictus est à Neocomo, aut Novicastro, præcipuo, circa hujus lacus littora, oppido. Initium sumit propè Yverdunum oppidum, à quo etiam quandoque denominatur *lacus Yverdunensis*, le Lac d'Yverdun. Ejus longitudo constat quinque Leucis Germanicis, latitudo maxima unâ & semi. Influit post aliquod

intervallum hic lacus per fluvium Telam *in lacum Biellenſem*, Bielerſee/ ita denominatū ab oppido Bieña, Biel/non ita tamen proximè ad lacus exitum ſedente; hic lacus amœnus eſt piſcoſuſque, cujus littora vitibus conſita ſunt; Neocomenſi minor: vocatur etiam Nidovienſis, à caſtro Nidavv ad Telæ ex hoc lacu efluxum, jacente, ad quod, ut monet *D. Herman.* hujus lacus juriſdictio pertinet, excepta tantùm illa, quæ Biennam verſus reſpicit, extremitate. In quibuſdam veteribus Actis dicitur lacus *de Nurol, Neurol, vel Nerol, item Nuiruil* à certo quodam loco ſupra villam novam ſito, ſed jam antiquato, ut refert idem *D. Herman.* In medio ferè lacus, quædam jacent inſulæ, major vocatur *S. Petri*, & ſatis patet, amœna eſt, ſylvam, vineas aliquas & prata continens: minores reliquæ parvi ſunt momenti, cùm ſæpiſsimè aquis ſubmergantur. Rigente frigore ſæpè congelatur. Famoſus eſt ob uberem piſcationem piſcium vulgò dictorum Hetwrſing. *vide Munſt. lib. 3.*

Lacus Muratenſis, Murtenſee/ ab oppido non incelebri Murato; non tam latè patet, ac duo præcedentes: à fluvio *Broia* initium habet, cujuſque aquis augetur, qua ex parte latiùs olim patuiſſe credunt nonnulli, ita ut ad muros Aventicanos ſe extenderet; unde quoque credit *Guillim.* quondam *Aventicenſem* nominatum. Extant quóque fœderum tabulæ anno

1333

1333 scriptæ, in quibus nominatur, *der Uchtsee*, unde colligit *Simler. MSC.* Aventicum tunc *Uchten* nominatum, à quo regioni nomẽ Uchtland. Diffunduntur autem illius aquæ per fluvium Broiam in lacum Neocomensem, propè ædes dictas, *à la Sauge, ad Salicem*: Locus verò ubi Broya eo ex lacu effluit, vocatur *ad Salices*, unde etiam pagus vicinus vocatur *Sougiez*. Ferunt, omnino deperdi, quidquid in hoc lacu submergitur: piscosissimus est; quandoque in summis frigoribus ita firmiter congelatur, ut glacies onustos etiam currus ferat.

In parochia S. Saphorini, præfecturæ Lausanensis, visitur magnum stagnum vulgò dictum, *lac de Bro, Brou, & Bré*, & in Actis lacus Bromagus, hujus littora scirpis & arundinibus maximam partem marginata sunt. Quibusdam in locis trabes quernæ, & quadrati lapides in aquis conspiciuntur: credit vulgus locum illum fuisse submersum, & in voraginem dejectum: piscibus non caret, cancros magnos alit; nullis amnibus augetur, interim tamen per rivulum in Lemanum lacum diffunditur.

In monte Jura sunt etiam laculi optimis piscibus abundantes, inter quos maximè conspicuus est *Lacus Iurienſis*, vulgò *lac de Ioux*, ab antiqua ejus nominis, olim ad lacum illum sita Abbatia; ex hoc lacu per subterraneos meatus effluit amnis Vrbà, uti alibi vidimus.

Monet

Monet *D. Herm.* tres esse lacus, per quos fluat fluvius Urba: primus dicitur *lac des Rosses*, aut *Quinsonnet*: secundus nominatur *magnus lacus*, *le grand lac:* Tertius vocatur, *lac Burnet*; separatur hic à magno per pontem dictum *des Charbonieres.*

Lacus Brientzensis, Brientzersee/ ab oppidulo Brientz; *Thunensis*, Thunersee/ ab oppido Thun/ dicuntur. Arula in Brientzensem primò influit, & illum post aliquod intervallum Thunensi jungit, ex quo propè Thun/ servato nomine effluit: uterq; magnam habet piscium copiam, unde præcipuè apud Abbatiam Interlacensem piscatio ita uberrima est, ut prodigio non careat. Thunensis Brientzensi major est; ex utroque, orientem versus, Alpium perpetuis nivibus albicantium prospectus patet.

Sunt & alij laculi, in Argovia superiore & inferiore, quos utrum magna stagna, an paludes nominaveris, parùm refert, de quibus in genere notandum eos sævientre hyemis frigore congelari, interea tamen piscibus non carere, præcipuorum mentionem faciemus. *Richensee* lacus est parvus à vico ejusdem nominis dictus: ad illius caput est locus dictus *Baldeck*, & ubi effluit per rivum *Aa*, jacet vicus Richensee, jungitur verò majori lacui dicto *Hallvvylersee*, ab oppiduo Hallvvyl, ad effluxũ fl. Aa ex illo lacu, posito. Ab oppido *Sursee* deno-

denominatur alius lacus, dictus etiam *Sempacherſee*, ab oppido Sempach, ad illius ferè caput, orientem verſus: jacet verò oppidulum Surſee ad egreſſum fluvij Sur ex iſto lacu, qui à meridie ſeptentrionem verſus porrigitur.

In monte fracto, ſupra Lucernam, eſt etiam laculus, quem *Pilati lacum* vocant: ſitus eſt in loco paludoſo, ſolitario undique collibus, à quibus liqueſcentes nives defluunt, cincto, ac ſylvis circundato, ne à quoquam irritetur, vulgo enim perſuaſum eſt, toti regioni extempeſtatibus, & inundatione periculum eſſe, ſi quidquam ab homine de induſtria injiciatur; *Simler. de Alp. Quadus in deſcr. Helv. Merul. part. 1. lib. 3. cap. 10. Mercator, Frey. &c.* Fabulantur autem, olim illic in eminente rupe Pilatum conſediſſe, horrendaſque excitaſſe tempeſtates, quem poſtea depultum conjurationibus incantator quidam in proximum lacum deturbarit. Ridet hæc *Geſſnerus in Deſcrip. montis pag. 52.* referente C L. *D. Hotting. in met. leg. hiſt. Helv. pag. 241.* Magnam famæ authoritatem conciliat vicinorum rigor, qui montem conſcendentibus hoc ſollicitè injungunt, ne paludem turbarent. *Vadian.* in Pomp. Mel. *Capit res fidem, quòd pacatum irritare auſos mox fuiſſe capite plexos, ob illatam accolis calamitatem, oppidani referunt. Illud retulerim, nos in aſcenſu, à paſtore illo, qui ducebat, tantùm non juris jurandi ſacramento adactos fuiſſe, ne quid importunius tentaremus*

remus viso, aut ne quid injiceremus. Capitis ille sui aleam ludi aiebat, &c. Mutavit tamen postea sententiam *Vadianus*, ut habet *Gessner.* pag. 59. Superstitiosam tempestatis concitationem pleniùs exaggerat *Malleolus* apud Gessner. p. 61. *Paulus Eremita* Desc. Helv. *Mirum quod de eo lacu vulgus nugatur, sed nec fidem meretur, nec habet.*

Lacus Lucernensis, Lucernersee / ab oppido Lucerna, super hoc lacu ad fl. Ursæ efluxum sedente nomen habet; ex hoc lacu plura, quàm ex territorio suo, ferè commoda Lucernates habent: huic lacui jungitur alius dictus *Sylvanius*, à Sylvanijs seu Undervvaldensibus ita dictus, qui in lacum Lucernensem influit & propriè vocatur der vier Waldstettensee / quia medius inter quatuor illos pagos (vulgò die vier Waldstett) Uri / Schweitz / Underwalden & Zug / situs est. Ab hoc non longè occidentem versus in pago Undervvaldensi visuntur parvuli lacus, quos veriùs cum Marcellino, paludes dixeris: orientalior *Huvylsee*, occidentalior, *Lungernsee*; hi duobus rivis effunduntur, qui simul juncti, in alium laculum influunt, *Sachslersee*, ex quo effunditur rivus, *Aa*, se infra Stantiũ in lacum Lucernensem præcipitans.

Lacus Tugenus, vel Tuginus, aut Tugiensis, Zugersee / ita ab oppido Tugio nominatur, recipit fluvium Lorentz dictum, qui ex lacu egressus postea Ursæ miscetur. Hic duobus superio-

perioribus minor est: Eiq; ad orientem etiam duo adjacent laculi, quorum prior vocatur *Egeryſee*, per fl. Loretz in prædictum lacum Tugenum ſe exonerans, Alter verò vocatur *Lowertzſee*, propè portum Brünnen in lacum Sylvanienſem influens. Tertius paulò remotior orientem verſus apud Glaronenſes à valle Clontal vocatur *Clontalerſee*, qui per rivulum Löntſch, in rivum Sârnff ſe exonerat, & hic in Limagum illapſus cum eo in lacum Tigurinum defertur.

Lacus Tigurinus, Valafrido *Turicinius*, longus ſatis eſt, à meridie ſeptentrionem verſus; latitudo maxima eſt inter Rapertiſvillam, & locum dictum Hurden, aut ſalrem paulò inferiùs; exindè Tigurum uſque, ubi Limagus lacu effluit, paulatim arctior & anguſtior fit. Non longè à Rapertiſvilla. pons eſt ligneus, quo lacus traijci poteſt; ſub hoc, menſibus ſeptembri & octobri, uberrima piſcatio fit, ibi lacus non admodum eſt profundus. In quibuſdam rabulis geogr. ea lacus pars, quæ à Rapertiſvilla ad Limagi ingreſſum extenditur, nominatur *Oberſee*, id eſt lacus ſuperior. Uterq; quibuſvis mercibus ex Italia & Rhætia Tigurum tranſvehendis ingentem commoditatem afferens: adeo ut ſingulis diebus Veneris circiter ducentas omnis generis naves in Urbem appellere videres. De lacu Tigurino, ſic Henricus Stephanus. *Lacus eſt*

longus

longus circiter 12. mil. paſ. ſupra quem amœnus Alpium proſpectus eſt, ut volupe ſit vel in media æſtate nives & quaſi quandam hyemem intueri. Et Author Archon. coſm. *Lacus ipſe longitudinem triginta millium paſſuum continet, & ab urbe Tigurinus vocatur.*

Lacus Rivarius, in Glaronenſium regione, ità dicitur ab oppido Riva, ad lacus caput ſito. Germanicè vulgò nominatur *Valenſee*, vel *Walenſtatterſee*, quibuſdam etiam *Weſenius*, vel Weſenenſis ab oppidulo Weſena, ubi Limagus effluit, ut poſtea in lacum Tigurinum influat. Tempeſtatibus plerumque obnoxius, adeoq; & periculoſus eſt: ad cujus littora pagi Tertzen, Quarten & Quinten, olim à ſtationibus Romanorum ſic dicti, ſiti ſunt. Cæterùm ejuſdem cum lacu Tugienſi, magnitudinis eſſe cenſetur.

In pago Tigurino eſt laculus, *Pfeffikerſee*, nomen habens à loco dicto Pfeffikon, aquas ſuas diffundit per rivum Aa (Nota eſſe tres rivos hujus nominis in Helvetia: primus eſt in Argovia inferiore effluens ex lacu Hallvvylenſi. Secundus influit in lacum Lucernenſem. Tertius hic eſt in pago Tigurino) in alium majorem nominatum *Griffenſee*, à vico ejus nominis: ex hoc lacu exit Glat fluvius in Rhenum infra Egliſovium influens. Abbatiſcellani in ſuarum Alpium cacuminibus tres puſillos lacus truttas ferentes oſtendunt, teſte *Simler. in comp. de Alp.* In

In ſummis Rhætorum Alpibus loco dicto *Montaſun*, lacus eſt in quem ſi lapides injicias ſtatim nebula oritur, & inde grando: Ergo incolæ pœna capitis prohibentur lapides injicere, ut nobiliſsimi ad Regem legati docuerunt: referente *Frey.* cap. 9. De alijs laculis in Rhætia ſermonem non hic inſtituimus, ſed ſiſtimus gradum, ad Helvetios properaturi.

CAPUT XVI.

De Helvetiorum antiquitate & origine.

HElvetiam, inſignem Europæ regionem, qua potuimus fide & diligentia, pro virili noſtra, quoad adjuncta & partes, luſtravimus. Poſtulat nunc noſtræ methodi ratio, ut ad regionis incolas accedamus: de quibus in genere duo diſquirenda ſunt. I. De *Helvetiorum antiquitate & origine.* II. *De variis eorum nominibus.* In ſpecie de eorundem lingua & moribus agemus. Sed hoc capite in illorum antiquitatem & originem inquiramus. Suis non caret difficultatibus, quæ de Helvetiorũ tum antiquitate tũ origine movetur quæſtio, cujus explicationẽ, dũ quærere conantur Authores, eam ſuis frivolis conjecturis & diſcordantibus ſententijs magis magiſq; implicant. Quiſq; ſe veritatem aſſecutũ credit, dum

certorum monumentorum, aut firmarum demonstrationum loco suas nobis traditiones obtrudunt: suam hic fateri ignorantiam, & supinam præteritorum sæculorum negligentiam deplorare præstat, quàm aliquid, vel somnijs simile, vel fabulis proximum, in medium proferre. Attamen ut ingeniorum curiositati satis fiat, discrepantes Authorum opiniones referre, non fuerit injucundum, unicuique verò credendi quod placuerit, libertas erit.

De *Helvetiorum* autem antiquitate & origine locuturis, distinguendi nobis videntur Helvetij. Alij enim sunt Helvetij, & alia illorum ratio, quorum mentionem faciunt Antiquiores Historici & Geographi, Græci, Plutarchus, Strabo, &c. Et Latini, Cicero, Cæsar Tacitus, Florus, &c. Alij (posteriores nominare licet) de quibus Historici recentiores a quatuor aut quinque sæculis agunt.

Helvetij priores & antiquiores Græcis dicebantur Ἑλουήτιοι, vel Ἑλβήτιοι, secundùm *Plutarch.* Latinis Helvetij. Horum nomen apud Veteres, antiquum esse certum, magis quàm probatione indigeat. vide *D. Hotting. in meth. leg. hist. Hel. p. 198.* Certa verò non ita illorum origo, unde *Bodinus meth. hist. Helvetia regio nulla veteris appellationis habet vestigia.* Perierunt prisci illi Helvetij, perijt quoque originis ipsorum memoria. Interim varias hic referre sententen-

sententias juvabit. *Vaudi Chronica* narrant, *Eructonum* quendam tres habuisse filios, *Sequanum*, *Allobrogem & Helveticus*: hi patris imperium inter se diviserunt, ita ut Sequanus, Sequanis nomen dederit; Allobroges ab Allobroge denominati fuerint. Helveticus verò eam habuerit regionem, quæ postmodum ab ipso Helvetia dicta sit: Sed penes Chronicorum illorum authorem sit fides: apparet quisquis illorum compilator fuerit, eum multimodè in chronologia errasse, unde etiam tot habuerit commenta vix sciri potest.

Aventinus *Helvetios* gentem vetustissimam nomen & originem traxisse perhibet ab Helvetio Herculis filio. Hercules enim Alemannus, varios habuit liberos, inter quos fuerunt *Noricus* primogenitus, *Hunnus*, *Helvetius*, *& Bojus* natu minimus. Scribunt quoque alij Bojum & Helvetium post diluvium ex Armenia profectos, ea occupasse loca, quæ eorum nomen retinuerunt, & à Mose Gen. cap. 10. *Havilah* & *Jobab*, nominatos fuisse perhibent. Sed in aliam alij eunt sententiam. Sic enim loquitur *Guillim.* lib. 1. Rer. Helv. *Helvetiorum nomen unde fluxerit, primus, ut arbitror, Henricus Glareanus investigavit, & nisi mens aberrat, reperit: Helvetter enim celticâ linguâ dictos quasi Ditis propinquos, sive nobilitatis inde, ut à Deo, sive antiquitatis ex eodem fonte insignia capere voluerit.* Cæsar lib. 7. *Galli se à dite patre prognatos prædicant:*

Berosus lib. 5. ant. Ditem in Galliam colonias duxisse memoriæ commendavit. Deus autem ille, quem Latini *Ditem* nominabant, à Græcis *Plutus* dictus fuit, hunc à Gallis præ cæteris Dijs cultum, & *Hellum* illorum linguâ nominatum, nonnulli credunt. Sed super hac re audiendus Frey cap. 4. adm. Gall. *Galli omnes, apud Cæsarem, Dis pater noster est, ajunt. Romani Gallicarum ignari vocum, earum præsertim quæ religionis mysteria concernerent, Celtica vocabula, latina inclinatione flexerunt: & cùm Gallis esset Dieu, ipsi in suum Ditem verterunt. Quis enim ita mente vacuos credat Gallorum primos, ut se à Dæmone ortos profiteri publicitùs voluerint? Scio equidem Helvetios gentem Gallicam aliquibus videri dictam quasi cognatos Ditis; Hel enim ipsis infernus est, Vetter, cognatus, sed meliori intelligitur significatu. Hel, id est lucidum, ut cognatos lucis potiùs quàm inferni interpreteris.* Dubitat hic, nec sine ratione, Doctiss. *Hottinger.* utrum vox Vetter, Helvetijs jam tum, cùm Helvetiorum antiquissimi Scriptores meminerunt, hoc sensu fuerit usitata. Adfert adhuc aliam sententiam D. Hottinger. his verbis. *Non desunt qui Helvetios, seu (ut Glareanus scribit) Helveteros dictos putant, quasi, Held Vätter, Heroum patres, vel ἥρωες ἄνδρες. Et quanquam non negemus, fuisse aliquos in Helvetia ἀνδρεῖους μεγέθους viros, id quod varia eruditorum monumenta probant; certum tamen est, de plerisq; judicium Casp. Ens, non longè*

aberrare

aberrare à vero. Arebus itaq; gestis & magnis conatibus, quàm staturâ corporis ita Helvetios denominatos verisimilius est. Simletus autem vir eruditissimus & diligentissimus antiquitatum indagator, in tam antiquis, & discrepantibus Authorum sententijs, nihil pro certo affirmari posse credidit. Quod si quis conjecturis gaudeat, forsan ab Helvo colore, qui est inter rufum & album, teste *in Solin. Salmasio*, Helvetij dicti fuerint; cujus denominationis ratio, peteretur ex eo, quòd Helvetij maximam partem rufi & albi fuerint: superiores sententiæ, fabulosæ vel incertæ, hæc ridicula videri possunt.

Alia adhuc est quæstio, non admodum facilis. *Utrum Helvetij ex Germania in Helvetiam priùs venerint, aut ex Helvetia in Germaniam transierint?* Huic quæstioni ansam præbuit Tacitus qui lib. de mor. Germ. ait. *Inter Hercyniam sylvam Rhenum & Mœnum amnes Helvetij, ulteriora Boij, Gallica utraq; gens tenuere.* Idem ferè Strabo referente Volaterrano lib. 7. *Rhatij & Helvetij, Vindelia, & discreta Bojorum regio ad Istri fontes prope sylvam Hercyniam sunt usque ad Pannonias, è quibus Helvetij & Vindelici, in montibus campos habitant, Rhatij verò & Norici usque ad Alpium summa tenent, & Italiam versus inclinant.* Loquitur quoque Ptolomæus de *Helvetiorum Eremo*, de qua diversæ sunt sententiæ. Quidam hanc ponunt in Clatgovia circa fines Scaphusianorum.

norum. *Munst. lib. 3.* circa Waltzhutum, ubi non longè, capit initium Hercynia sylva. Alij in Alsatia propè urbem olim nominatam *Helvet*, nunc Sleſtadium, unde Carion, *Helvetij fortè nomine ijdem, qui nunc Alsati, Helvetiorum Eremus Martiana sylva in Marchionatu Badensi:* sed hoc à Doctiſſ. *Cluverio* lib. 3. c. 2. ant. Germ. refutatur. Volunt quinetiam alij, Helvetios circa Danubij fontes coluiſſe regionem, vocaramq; fuiſſe Helvetiorum desertum. Ex supra dictis, maximè verò ex *Taciti* verbis colligit *Aventinus*, Helvetios in Germania primùm habitaſſe, deinde Rhenum tranſgreſſos in Galliam Belgicam colonias duxiſſe, & *Helvettum* ac *Aventicum* urbes condidiſſe. Aliter tamen censent alij, ac dicunt Helvetios in Germaniam ex Helvetia migraſſe, quod intelligendum non quòd omnes, relictâ suâ patriâ, eò se contulerint, sed quòd ut ait *Simler.* M S C. colonias in Germaniam duxerint, aliquamq; ejus partem suo imperio subjecerint: refert enim Cæsar, *Helvetios reliquos Gallos virtute præcedere, quòd fere quotidianis præliis cum Germanis contendant, cùm aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.* Quo autem tempore coloniæ in Germaniam deductæ, aut Germani sub jugum missi, incertum. Conijcit *Simlerus*, Helvetios forsan, cùm Cimbrorum socij essent, non tantùm Italiam invaſiſſe, verùm etiam in Germaniam exercitum deduxiſſe,

xisse, & vicina sibi subjeciſſe loca. Sed quamplurimi arbitrantur Helvetiorum illorum genus, jam pridem extinctum, cùm hodie Germani potiùs quàm Galli sint (ut cap. 1. ostensum) qui antiquam Helvetiam incolunt; apud Latinos tamen Scriptores antiquum illud nomen etiam retinent. Ego, salvo aliorum judicio, crediderim, non omnes antiquos illos Helvetios, aut saltem illorum genus prorsus perijsse, non enim omnes qui montes habitarent, bellis omnino deletos credibile est. Videatur *Simler. Descr. Vall. lib. 1.*

Posteriores Helvetij variè à latinis Scriptoribus nominantur; Aventin. Ann. Boj. lib. 4. *Suitones*, Volater. & Rolvingus Carthusianus *Suiceros*, Joh. Vitoduranus *Suicenses*, Genebrard. *Suitenses* vel *Suissos*, Osvvaldus Molitor *Suitos*, vocant. Germanicè Schweitzer / vel Schwytzer / vel Eydgnossen; Italicè, *gli Suizzeri*, vel *Suizzari*; Hispanicè los *Suiceros*, Anglicè & Belgicè *De Svvitzers*; Gallicè, *les Suisses*. De horum quoq; origine variant sententiæ. Narrant Historicorum nonnulli. Vitas gentem Aquilonarem propè Tigurinos suas fixisse sedes; illorum verò regionem Uri dictam esse. Alij volunt Vitas fuisse Saxones quos Carolus Magnus, ob iteratas rebelliones ex Saxonia ejecerit & in Helvetia Alpina concluserit: quemadmodum maximum incolarum lateris septentrionalis fl. Albis numerum in

Flandriam & Brabantiam ablegavit. Vitæ autem illi postmodum Suitæ vocati sunt, ut volunt superioris sententiæ Authores. De istis Saxonibus Carolo Magno rebellibus, & à fide Christiana deficientibus, non idem narrant omnes. Sic Nauclerus. *Verius videntur sentire, qui scribunt Carolum Magnum, A.D. 806. devictis Saxonibus feruciores ex eis ad 10000 virorum cum uxoribus & liberis deportasse, & per diversas Galliæ ac Germaniæ provincias relegasse. Causa hujus fuit, quòd Gens ista sæpè ad fidem Christianam conversa, toties apostatavit, & in vicinos crudeliter sævijt, unde maximam ipsorum partem in Hungariam septem castrorum, ubi modò degunt, destinaverit: aliquos verò ad Comitatum Vallesiæ Sedunensis diœcesis collocavit; aliquos ultra montem Jovis in Longobardia, propè Augustam Taurinorum Domino nunc Ducis Mediolani, habentes adhuc linguam Teuthonicam, ut & septem castrenses in Hungaria: Alios transtulit ad vallem Uraniæ, & arctam, ubi villa est ejusdem nominis, Art/Constantiensis Diœcesis, montibus altissimis & lacubus munita, ut ibidem sederent pro custodibus, & dum ipse Carolus in Italiam iturus esset, liberum haberet ingressum, fertur obligasse. Qui ubi confederant Saxonicâ linguâ ferunt dixisse:* Hie wollen wir Schwitten/ *id est, hic volumus in sudore terminos constituere, à quo verbo,* Schwitten/ *Suitzer dicti sunt.* Paulò aliter historiam narrat *Felix Faber Hist. Suev.* introducit enim Carolum ad istos exules, post exactum ab

ab ipsis juramentum fidelitatis & constantiæ, loquentem de illo juramento, quòd tria impliçaret & includeret. *Pro primo articulo juramenti* (ajebat Carolus) *do vobis, ut nuncupemini, confœderati, scil. Imperio, ut in ipso vestro nomine sponsionis vestræ memores sitis, ideo etiam in Theutonico nominantur*, Eidtgnossen / *pro secundo articulo aliud impertior vobis nomen: quia enim promisistis in labore desudationem, hic nomen vestrum erit, & dicemini*, Schwitzer / *id est, Sudantes, &c.* Ista verò sapiunt fabulam, & etymologiæ illæ ridiculæ *D. Hotting. met. leg. Hist. Helv. pag. 206.* De his & similibus varia habent, præter supra memoratos, *Munsterus, Cellarius, Rhenanus, Alciatus, Merula, Mercator, &c.*

Alij à Suecis, Suiceros originem trahere crediderunt, inter quos sunt *Tschudus, Stumpfius, Genebrardus, &c.* Refert *Munster.* lib. 3. tempore Sigisberti cujusdam Sueciæ Regis, Suecorum multitudinem, aut ob Oceani inundationes, aut ob terræ sterilitatem, quæ tanto populorum numero nutriendo, impar esset, novas sedes quærere coactam fuisse. Hi populi transgresso Rheno, Gallos ipsis obviam factos profligarunt; obstupuere reliqui Galli, qui ad novos hospites legatos mittunt, à quibus nihil aliud petunt Sueci, quàm ut ipsis vivendi daretur facultas, & regiones quas incolerent excolerentque, concederentur: qua de causa Helvetij, interiorem suæ regionis

partem, montibus ac lacubus plenam permiserunt; unde postea illa loca fertiliora, habitationique cõmodiora facta sint. Sed nobis quoque audiendus est Osvvald Molitor. *Ducunt Suiti originem à Suedis, qui in extrema septentrionem versus Europa sunt (alio nomine Gothi appellantur) cui rei testimonium non modò nostræ historiæ afferunt, sed & ij, qui vel hodie Suediam inhabitant. Ex quibus sæpè quæsitum à Mercatoribus nostris quidquam ne haberent in annalibus, quod argueret expulsos sanè ex sua patria in nostras, uti apud nos creditur, sedes devenisse. De conformitate regionum, morum, naturæ, aliarumq; rerum, ut solet, nihil minùs inquisitum. Asseverarunt omnia, illud adijcientes, miris se gloriari modis, tam laudatum, apud omnes gentes populum originem sibi ferre acceptam.*

In hac fuit sententia Garissollius lib. 10. Adolph. qui de fœdere, quod cum Helvetijs, Rex Sueciæ Gustaphus Adolphus, inire cupiebat, loquuturus, sic de Helvetiorum à Suecis origine canit.

Arctoo gens orta satu, generosaq; factis
Æquans arma patrum, gemino Suecosq; Gothosq;
Sanguinis attingit titulo. Nam vulnere postquam
Dejectus Tejas vitalibus oxijt auris,
Eousq; solo regnavit in Ausone Narses,
Italiam liquisse Getas, montesq; propinquos
Insedisse ferunt: Nec pristinus obstitit armis
Incõla, sed facilis latio jam rure remotos

Excepit,

Excepit, regniq; favens in parte locavit,
Complexus populare genus. Constantia famæ
Nempe refert, patrio digressos Sueonas orbe
Auspiciis Gotherice tuis, faustoq; gradivo
His sedem statuisse locis, perq; oppida leges
Sanciviſſe suas, & longos regna per annos
Firmaviſſe manu. sic utraque finibus istis
Crevit, & æterno se fœdere nexuit Arctos,
Helvetioſq; dedit mundo, nec degener ortum
Dedecorat populus, sed nomine dignus avorum est.

Hac occasione annotat D. Hottinger. meth. leg. hist. Helv. pag. 201. *Certũ est magnam utriusq; non modò gentis, sed & quorundam Dialecti idiotismorum esse γειτνίασιν. Observavit Clar. D. Ericus Odhelius, Gothus, dignissimus in Ubsalienſi regia Professor, meus per aliquot menses hospes gratissimus, multas apud nos loquendi voces & formulas per universam Germaniam ignotas, Suecis tamen familiares. Quid? quòd Suetiam cum Suitia sensu generali pro universa Helvetia sumpta exteri authores confundant. Vide Anal. P. I. pag. 167.*

Quamvis autem hæc virorum doctorum opinio non videatur contemnenda, illorum etiam reijcienda non est, qui Suitenses, aut Helvetios ita hodie dictos volunt à pago Suitensi. Inter quos sunt Osvvald. Molitor, in Paneg. Glareani. *Suicia sequitur, unde omnes confœderati, commune apud vulgos hodie tenent nomen Suitenses, vel Suiceri.* Sic Conringius de imp. Romanoger. *Achaorum Respublica omnibus fœde-*

fœderatis nomen dedit, urbs Romana omnibus socijs, hodie fœderati omnes Helvetij, ab uno pago Suitceri, &c. Felix Faber. Monach. Ulm. lib. 1. *Omnes Communitates junctæ Suitzeris, cum eis nomen communicant, & Suitzeri à villa Suitz nominantur, &c.*

Istius denominationis rationes afferri possunt. I. Quoniam initium confœderationis factum est in oppido Suitensi; Suitensium sive Suissorum nomen omnibus confœderatis est tributum, Ut ait *Genebrard. lib. 4.* II. Quòd primi omnium ex Pagis tribus, Austriorum irruptioni expositi fuerint & inter tres pagos maxima fuerit eorum potentia, ut loquitur *Simler. lib. 1.* Reip. Helv. III. Quòd in Suitensium regione pro libertate pugnatum sit: ex quo factum est, ut paulatim reliqui tyrannidis jugum excusserint. *Inde postea*, ait Guillim. lib. 2. rer. Helv. cap. 15. *Suitiorum apud quos primò pugnatum fuit, nomine, & fama apud nationes Helvetij omnes in celebritatem abierunt, Suitzeriq; gens universa adpellati.*

CAPUT XVII.

De Varijs Nominibus Helvetiorum apud Veteres.

INter difficultates quæ in Authorum lectione occurrunt, & lectores quandoque vexant, non infimas tenet ea, quæ circa varia po-

pulo-

pulorum nomina, versatur. Helvetios varijs insignitos nominibus diligens historiarum scrutator reperiet. Sæpissimè generaliter sub Celtarum aut Gallorum nomine comprehenduntur, quo maxima Europæorum pars designabatur, ut alibi vidimus. Julius Cæsar apud Dionem lib. 38. in oratione ad milites, *Helvetios* Gallicam narionem ὁμοίους facit atque ὁμοφύλους Marcomannis Germanis, id est, similes & ejusdem gentis populos. Marcomanni autem quales fuerint, variant sententiæ. *Willichius in Tacit.* eosdem fuisse quos nunc Moravos nominamus, credit. *Munst. lib. 3.* dicit Marcomannos habitasse Bohemiam, post superato Danubio in Croatia substitisse; sed utrum hoc cum Taciti verbis cõveniat, æquo lectori judicium relinquo; sic verò *Tacitus* lib. de mor. Germ. *Præcipua Marcomannorum gloria, viresq; atq; ipsa etiam sedes pulsis olim Boijs, virtute parta, &c.* Marlianus conijcit fortè, eos fuisse qui finitimam Helvetijs vallem incolebant, cui nomen est *Marcomana*, Sequanis & monti Juræ proximam, cum his Marcus Antoninus Philosophus periculosum diuturnumq; bellum gessit. Quidquid sit, si Dioni aliqua sit adhibenda fides, ex eo colligere possemus, vel Helvetiorum colonias in Germania Marcomannis fuisse vicinas, vel illorum regionem, ab Helvetijs non multùm remotam. *Livius* vocat *Semigermanos*,

manos, quia (ut ait *Cluverius*) eorum lingua Germanorum quàm Gallorum sermoni fuit propior. Postquam enim Helvetij Rhenum sunt transgressi, probabile est eos, se, & linguæ & moribus Germanorum, labente tempore, assuefeciſſe. Helvetios quoque *Alpinorum* populorum & *Tauriſcorum* nomine designatos non obscurè indicat Polybius lib. 2. *In Alpibus ab utroque latere loca montuosa habitant; ad eam partem quæ versus Rhodanum & septentrionem spectant, Galli qui Transalpini appellantur, ad eam quæ campis imminet Tauriſci, Agones, alia pleraq; Barbarorum genera, à quibus Transalpini non genere, sed differentia loci differunt.* Hac occasione *Cluver.* ant. Germ. lib. 1. c. 5. & lib. de Vindel. c. 2. ait, omnes Alpinos populos unius ejusdemq; fuisse gentis, qui cõmuniter Græcè & Latinè, *Tauriſci*, sibi ipsis, *thi Thauriſchon*, appellatione ex Alpium nomine desumpta, quo in cõmune hodièq; nonnullis Germanis appellantur *Tauri*: Romani omnem Tauriscorum Gentem dixere Alpinos & Inalpinos populos. *Plutarch.* in Marcel. *Polybius* lib. 4. *Orosius* lib. 4. c. 13. *Sabellic.* Enn. 4. lib. 9. Gallos inter Rhodanum Alpesq; incolentes, ab eo, quòd mercenatia stipendia merebant, *Gessatas*, vocant. Gessatarum autem nomen, non gentis, sed mercenariorum Gallorum est, ut loquitur *Orosius*, sive ut ait *Cluver.* non gentis sed conditionis est vocabulum; quod quàm

opti-

optimè Helvetijs conveniat, non solùm locus, ubi Gessatas collocat *Polybius* (ut rectè observat *Guillim.*) sed etiam Helvetiorum mos, qui jam ab antiquis temporibus apud ipsos invaluit, quemq; adhuc retinent, dum suam ad bellum operam, Principibus constituto pretio, locant, ostendunt. Ita ergo conductitij milites Celticâ linguâ, Gessatæ, nominati sunt, istius nominis vestigium remansisse videtur hodiè apud Britannos, qui servos conductitios *Gueßin* vocant. *Merul. part. 2. lib. 3. c. 15.* Gessatas, sic à Gessu lanceæ genere, aut quòd se omnes Gessel, hoc est, socios appellarent, sicut Germani se fratres nominant, dictos credit *Guilliman.* Gessatæ, vel à stipendio, ut vocamus (Gesinde) seu à genere teli, quod à Varrone & Virgilio Gesum dictum, ita sunt appellati, ut loquitur *Sprech. Pall. Rhæt. lib. 1.*

Mercator refert Eutropium *Helvetios* nominasse *Quados*, qui juxta Tacitum lib. de moribus Germ. Marcomannis fuere proximi. Aliter *Alciatus* in eundem Tacit. *Eutropius*, inquit, *Helvetiorum sedes à Quadis occupatas satis ostendit, ut suspicer omnes delectos, cùm Quadi Marcomannique, sub Aureliano, in Italiam prorupere.* In quo autem Eutropij libro, Helvetij Quadi nominentur, me animadvertisse non benè memini; imò quidem me legisse lib. 6. *Julius primò vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur.* Id quod demum (ut ait *D. Hottinger*) à Cæsaris tempore in

re in usu esse cœpit. Antea enim Gallis annumerabantur, postea Belgis, qui & Celtobelgæ dicitur, vide *Stumpf. lib. 4. c. 1.*

Post Gentium migrationes, cùm maxima Helvetiæ pars sub Burgundiæ regno comprehenderetur, Helvetij etiam Burgundiones dicti sunt. Qui verò sub Ducatu Alemanniæ comprehensi fuerunt, Alemanni simpliciter, aut etiam sæpè Superiores Alemanni, ab Authoribus vocantur. Qui in Tacitum de pop. Germ. comment. dedit (referente *D. Hotting.*) existimat *Paulum Æmilium*, Transjuranorum vocabulo, significare Helvetios, cùm inquit lib. 1. *Transjurani ferox genus hominum Burgundionibus, ante rerum potientibus attributi, & tunc sui propè juris effecti.*

CAPUT XVIII.

De Antiqua Helv. Lingua.

EXplicatis, ut potuimus, *Helvetiorum* antiquitate & origine, superest, ut qualis fuerit eorũ lingua, & qui mores, videamus. Quæstionẽ illam, quâ quæritur. Qualis fuerit antiquorum Helvetiorum lingua? Perplexam, & non explicabilem satis, ut par est, & res ipsa loquitur, & Doctissimi, quibus hæc crucem fixit, fateri coguntur.

Quærunt autem hic I. Quidam: *utrum vestrum*

veterum Gallorum & Helvetiorũ lingua fuerit Græca? Affirmant nonnulli, inter quos *Joachimus Perionius* in Dialog. & *Johannes Picardus* in Celtopæd. Suam sententiam probare conantur, ex Gallicæ Græcæq; linguæ cognatione, maximè verò *Cæsaris* authoritate, lib. 6. bell. Gall. referentis, Druides in publicis privatisq; rationibus, extra suas disciplinas (quas literis mandari nefas existimabant) characteribus Græcis uti solitos. Dicit quoq; idem *Cæsar* lib. 1. in castris Helvetiorum tabulas literis Græcis confectas, fuisse repertas. *Strabo* lib. 4. sic ait. *Urbs (Massilia) Barbaris loco ludi literarij patefacta, tantum literarum græcarum studium apud Gallos excitavit, ut contractuũ quoq; formulas, græcè conscriberent.* Refert quoque *Merula* viros doctos esse, qui putent characteres illos, quibus utuntur Græci, non verè Græcos esse, sed Gallicos, & ex Gallia in Græciam, non ex Græcia in Galliam fuisse advectos, ideoq; *Cæsarem* eos appellare debuisse, Gallicos, non Græcos; Græcos tamen dixisse, cùm Græcos tunc ijs uti sciret, à Gallis autem accepisse ignoraret. Certè ipsorum Græcorum testimonio, characteres isti α, β, γ, & reliqui non verè Græci sunt, sed Barbari, sicut videre est ex *Varrone* lib. 7. de ling. lat. Quantum autem robur insit illis argumentis, ex responsis erit colligere. Respondetur itaque primò: Probandum prius esset, hodiernam Gallorum

linguam, cum veteri eandem esse. II. Ex illa linguarum cognitione, quæstio quæ affirmatur, concludi non potest, sic enim quoque argumentari liceret, lingua hodierna Gallica plurimas voces à Latina mutuatur; Ergo Gallorum lingua est Latina. Ad *Cæsaris* & *Strabonis* testimonia quod attinet, majoris sunt ponderis, interim responderi potest. I. Secundùm quosdam, Druides & Helvetios characteribus quidem Græcis usos, Græcè tamen non locutos fuisse, quod non dicit *Cæsar*: aliud quippe est Græcis literis aliquid concipere, aliud Græcâ linguâ; Sic Thalmud Hebræo constaret sermone, quia Hebraicis sit excusum: Imò *Cæsar* ipse lib. 5. satis ostendit Gallos Græca lingua non fuisse usos, quando Græcè per equitem Gallum, ad, &c. Ciceronem apud Nervios obsessum, scripsit, aliàs ipsius consilia, cum epistola intercipi potuissent. II. Arridet magis aliorum responsio: non enim simpliciter negandum, Gallos aut Helvetios Græca lingua usos fuisse, siquidem simpliciter non dicat *Strabo* Gallos Græcis literis usos, sed Græcè scripsisse. Distinguendæ igitur sunt linguæ: aliæ sunt à natura, congenitæ, & ut vulgò dicitur, *maternæ*; *aliæ ab* arte tantùm & studio. Dicimus itaque Græcam linguam Gallis non fuisse congenitam, aut à natura, sed tantùm ab arte: sic fieri potest, ut Helvetius, Italicè loquatur, sed ab arte,

cùm

cùm naturalem linguam habeat; sic Galli & Helvetij calluerunt Græcam, quam in Schola Massiliana edocti erant; illos autem Massiliam frequentasse, Author est *Strabo*, ut supra allatum. A Massilienſibus etiam, ut ait Justinus Historicus lib. 43. *& usum vitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis vivere: tunc & vitem putare, tunc olivam serere consueverunt: adeoq; magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, ut non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur.* Cur non etiam Græcam linguam ab illis habuerint? Hinc tamen inferre non licet, omnes Gallos & Helvetios Græcè fuisse locutos, sed eos solùm, qui illam linguam didicissent, quales erant Druides, quibus illa, in suis mysterijs, erat familiaris; Galliarum Primores, alijq; illius linguæ studiosi: Imò credibile est, huic operam navasse, qui τὰ συμβόλαια scribebant; ut ait *Strabo*, quemadmodum superioribus sæculis, contractus, pacta, litigationes, latinè scribebantur, quamvis pauci latinè scirent. Doctorum illorum supra recensita sententia variè urgeri potest. I. Posito, non concesso, Gallos & Græcos eosdem habuisse characteres, eandem tamen linguam habuisse non sequitur: habent quidem Chinenses cum Japonensibus, communes characteres, linguam non item. II. Gra-

tis dicitur suas literas Græcos, à Gallis mutuasse, cùm Cadmum primum eas aut inveniisse, aut ex Phœnicia in Græciam transtulisse, nonnulli Authores perhibeant. Nec illud probat *Varronis* testimonium: Græci fatebantur se suas habuisse literas, aut saltem earum nomina à Barbaris; sed quid inde, non soli Galli Græcis erant Barbari, sed alij quoq; populi, lingua, moribus, & loco disiti, atq; differentes, sive à Græcis ipsis, sive etiam à Gallis.

Cùm verò communem veterum Helvetiorum linguam Græcam fuisse non constet, qualis ergo fuerit, quærat aliquis; Difficilem quæstionem esse jam diximus, nunc difficultatis causæ adducendæ. I. Certum non est, hodiernam Helvetiorum linguam, eandem esse cum veteri, de qua quæstio. II. Helvetij hodierni ab Antiquis sunt diversi, si origine, cur non etiam lingua? Ipsorum linguam, cum ipsis Helvetijs perijsse credibile est. III. Cùm non conveniat inter veteres, sub quibus populis comprehensi fuerint Helvetij; *Cæsar* sub Celtis, *Plinius* & *Ptolomæus* sub Belgis, &c. Non ita scitu facile est, utrum Helvetiorum lingua Celtica fuerit an Belgica? IV. Cùm diversis temporibus tot factæ fuerint populorum migrationes, quis non credat, sicut facta est populorum confusio, ita quoque linguarum? Quis hodie non videt, linguam Italicam hodiernam, à Latina, unde corrupta

est,

est, multùm differre? Gallica indies mutatur, de alijs mihi ignotis non loquor. V. Hanc difficultatem augent, quicunq; de populorum linguis locuti sunt. Germani suam linguam omnium hodiernarum antiquissimam, imò quidam primævam ridiculè autumant; Galli verò suam præferunt; Cantabri superioribus contradicunt: Ita dum unusquisque sibi adulatur, à vero discedit, & in varia absurda incidit. Ut tamen super hac quæstione dicamus aliquid, in genere notandum & quidem Julij Cæsaris tempore Aquitanos, Celtas seu Gallos, & Belgas, lingua, institutis, & legibus inter se fuisse discrepantes. Sed hic iterum nodus reperitur, nempe, utrum discrimen illud fuerit in tota lingua, vel tantùm in Dialectis? Quidam tres fecere linguas, Aquitanicam, Celticam, & Belgicam, inter quos *Merula part. 2. lib. 3. cap. 15.* Alij volunt, unam tantùm fuisse linguam, sed Dialectis distinctam, quæ multorum est sententia, imprimis verò *Cluv. ant. Ger. lib. 1.* Postquam enim ostendit Aschenazem Noachi pronepotem, cum filijs suis atque nepotibus, omnem, post diluvium, obsedisse Celticam, id est, totam Europam, sicut ille ex Mosis Scriptorum antiquissimi monumentis deducit; asserit quoque, Europæos omnes unam eandemq; inter se habuisse linguam, varijs solùm distinctam dialectis, quod probare conatur, veterum Autho-

rum testimonijs, populorum appellationibus uno eodemq; modo apud omnes Europæos, formatis, privorum hominum proprijs nominibus, oppidorum vicorumque vocabulis, alijsq; complurium rerum vocibus, Europæis omnibus, communibus: Sed hæc apud ipsum vide prolixiùs. Quæri etiam specialiùs potest; *Quænam fuerit Cæsaris tempore, Aquitanorum, Gallorum & Belgarum lingua, & utrum adhuc extet?* Merula, loco suprà citato, censet linguam veterem Aquitanicam, eandem cum Cantabrica, Celticam cum Britannica, & Belgicam cum Germanica, esse. Sunt & aliæ aliorum sententiæ, quibus non explicatur, sed implicatur quæstio. Nos in re tam obscura, tamq; ab ævo nostro remota, in tot frivolis conjecturis, & discrepantibus Authorum sententijs, nihil certi & explorati statui posse credimus: Unde multis nec arridet, nec probatur *Tschudi, Glareani, Golutij, &c.* sententia, quâ statuitur, veterem Gallorum sermonem eundem cum hodierno Helvetico fuisse. Quidquid autem super posita prius quæstione certum aut verisimile dici potest, ad hoc revocatur: Antiquos Helvetios, in quantum Gallica gens fuerunt, ut referunt *Cæsar & Tacitus*, eandem aut non longè diversam cum Gallis linguam habuisse. Qualis autem fuerit illa Gallica, nobis non frustrà laborandum esse judicamus: *Satius est rem in medio relinquere, quàm incerta aut*

ta aut ἄποπα proferre. Sed hanc concludamus quæstionem. Cùm linguarum puritas & perfectio (cardinales excipio) ad nostrum tempus non pertigerint, difficilimum est, imò impossibile definire, quænam fuerit Helvetiorum ante mille & septingentos annos lingua. Afferant hîc nobis aliqua illius temporis monumenta aut scripta, qui suas nobis volunt obtrudere conjecturas. Regeret quispiam non mutari linguas, sed magis ac magis in melius restitui, perfici & expoliri: Verùm illa perfectio corruptio potius dicenda est; Nam quò magis aliqua lingua à prima sua origine discedit, eò magis corrumpitur: Ideò Hebraicam ad nos incorruptam perveniſſe dicimus, quia eam, qualis fuit, habemus. Communes linguas mutationes pati, testatur experientia. Vix Galli, (ita mutationibus assueti sunt) qui ante quingentos annos vixerunt, si hodie resurgerent, hodiernam Gallorum linguam intelligerent.

Hodie verò qualis sit Helvetiorum lingua; satis notum eam Helvetiæ partem quæ Germaniæ proxima est, Germanicum idioma retinere, qua de re, tanquam illius ingaro loquendi non datur facultas: Quæ Gallias magis spectat, linguam ad Gallicam hodiernam accedentem habet, quali utuntur Vaudi incolæ, & illis confines; hæc tamen peculiarem habet dialectum, imò infinitas voces, alijs

utpote Sabaudis, Burgundis, & in genere Gallis prorsus ignotas minimèq; cõmunes: Hanc veterem esse multa satis indicant: Quamplurima comprimis vocabula, quæ tum Græcam, tum Latinam originem sapiunt. Sic verò Schvvizer. Desc. Helv. de Hodierna Helvetiorum lingua. *Tribus hodie loquuntur linguis Helvetij, & his Fœderati: Germanica per universam fere Helvetiam est usitatissima. Eadem Rhæti & Lepontij nonnulli utuntur. Habent etiam Rhæti quidam, propriam suam linguam ab alijs longè diversam. Præter illam & Germanicam Rhæti sicut etiam Lepontij, Italica loquuntur lingua. Antuates, Sabaudica, id est, corrupta Gallica utuntur. Vallesiani Viberi Germanicam, Veragri Sabaudicam, Seduni medij utramq; in usu habent.* Credit *Simler. Descr. Vall. lib. 1.* duo hæc. I. In summis vallibus, & quæ cacuminibus Alpium proximæ sunt incolas Germanicæ linguæ usum retinuisse, ut apud Vallesios Lepontios, &c. II. *Hos veterum incolarum reliquias esse, in varijs enim,* inquit Simler. *migrationibus Gentium, ipsis suæ sedes permansere, nemo enim alius in his locis habitare voluisset, aut potuisset, præsertim cui liceret alibi cultiori loco sedes quærere.* Hoc verò non evincit Germanicam hodiernam Helvetiorum linguam, eandem esse cum veteri, aut veteremillorum linguam fuisse Germanicam: Etsi enim concedatur, non omnes summarum in Alpibus vallium incolas perijsse, nihil aliud concludi

potest,

poteſt, quàm quòd illi antiquam ſuam linguam mutaverint, cùm eadem ſit, quæ reliquorum Helvetiorum, aut dicendum eſſet Helvetios hodiernos ab antiquis non diſſimiles, quod tamen nemo, cum veritate affirmare poteſt: Repugnant enim tot populorum migrationes, eorumq; interitus, ut ex Hiſtorijs videre eſt. Veriſimile etiam non eſt, veterum incolarum paucas reliquias, novorum & penè innumerorum linguam immutaſſe potuiſſe. Non negamus tamen, eam eſſe antiquam ſatis & inſignem linguam, ſicut oſtendit Caſpar Scioppius, in conſult. de Scholarum & ſtudior. ratione. *Helvetica*, inquit, *Dialectus, quâ quondam omnes ferè Alemanni, hodie Helvetij tantùm utuntur, quam haud ſcio, an omnium ſuperioris Germaniæ copioſiſſimam, miniméq; depravatam rectè dixerim. Homines enim ſuo contenti, & Aularum contemptores (ex quibus ferè Helvetiorum Reſpublicæ conſtant) exteris minùs miſceri, neq; de lingua polienda, & adſcitis peregrinis vocibus, loquendiq; generibus exornanda ſolliciti eſſe ſolent.* Quid dicam? Sola Rhætia hodie quatuor diverſis linguis utitur: Scilicet I. *Germanicâ*; quà Helvetiam attingit, & ſeptentrionem verſus. II. *Engadinâ*, (vulgò Romanſch) in valle ejuſdem nominis, quam fluvius Ænus mediam ſecat. III. *Chur-Welſch*; in medio ſcil. Rhætiæ. IV. *Italicâ*; videlicet in Comitatu Clavennenſi & Valtelina, quà Lepontios,

Mediolanenſes & Bergomates attingit, *ut annotat præſtantiſſ. D. Huldericus.*

CAPUT XIX.

Helvetiorum mores tum circa corpus, tum circa ingenium.

DE Helvetiorum lingua dictum: Nunc quoque qualis ſit eorum genius, quales mores, dicendum. Pauca Veteres, ſpeciatim de Helvetiorum moribus habens, interim ſatis multa de Gallis & Germanis afferunt: Cùm autem certum ſit, medium inter Gallos & Germanos tenuiſſe Helvetios, eos etiam utrorumque moribus communicaſſe veriſimile eſt: Aliquam ergo illorum collationem inſtituere nobis eſt animus. Conſiderari verò poſſunt Helvetiorum mores, vel in rebus privatis, vel in negotijs publicis. Illi vel corpus, vel ingenium reſpiciunt.

Gallos corpora pluſquam humana, *Jornandes*; mirifica ſpecie & magnitudine, *Hirtius*; celſioris ſtaturæ, *Ammianus*; procera *Livius*, habere memoriæ prodiderunt. Scribit *Cæſar* lib. 2. bel. Gal. Gallis ob ſuorum corporum magnitudinem, Romanam brevitatem contemptui fuiſſe. Ingentium verò Galſorum corporum cauſam tradit *Frey cap. 6.* Quòd vini abſtinentiſsimi forent & reliquo in victu temperantiſ-

perantiſsimi. Certè quod de Gallis in genere dicitur, id de Helvetijs in ſpecie verum eſſe, teſtatur experientia: Habent adhuc procera corpora, proceriora & robuſtiora olim habuiſſe, dubium non eſt. Uti enim frigidiſſimæ Alpium regiones proceriſsimas arbores, & præſtantiſsima armenta educant, ſic cœli ſoliq; natura ferente, homines quoq; celſioris & firmioris ſtaturæ producunt. *Simler. lib. 2.* Sic Carolo Magno bellum Germanorum toties rebellibus populis, præſertim Saxonibus inferenti militavit Gigas ex Turgoja. Hic per fluvios etiam reluctantes traxit equos; hoſtes haſtâ ſua transfixos humeris ſuſpendere ſolitus, eoſdem ranunculas vocans, hoc ſolenni dicto. Ego interdum octo haſtâ mea transfixos neſcio quid coaxantes huc illucq; circumtuli. *Frey. cap. 6. ex Aventini annal. lib. 4.* Meminit quoque *Jovius* lib. 15. quorundam Helvetiorum proceritate corporum, animiq; virtute inſignium, in prælio Marignano, maximè verò duorum, his verbis. *Ibi quoq; Zambronius, & Antius Encher, vaſti animi, & terribilis ſtaturæ homines, &c.*

Antequam autem de Helvetiorum corporum qualitatibus quippiam dicamus; qua ratione à teneris educentur annis, priùs videndum. Refert *Plinius* lib. XI. c. 41. Italos oleo ſuos inunxiſſe liberos; idem Athletas, ut firmiora & agiliora haberent corpora, feciſſe

ciſſe notum. Helvetiæ mulieres deficiente oleo, butyro, vel vino, vel utroq; ſimul, ad illud ipſum utuntur. Teſtatur *Cœl. Rhodig.* lect. ant. lib. 3. cap. 16. *Apud barbaras gentes morem fuiſſe, vel amne gelido infantes abluere, vel tenui amiculo veſtire, qui Gallis mos eſt; ad cuncta enim quæ proſunt initio ſtatim inſueſcere optimum eſt: Adjuvat autem pueros innatus calor adverſus frigoris vim. Sic Vergilius.*

------Natos ad flumina primùm
Deferimus, ſævoq; gelu duramus & undis.

Hoc in more poſitum apud Helvetios fuiſſe credibile eſt, ut jam ſupra cap. XI. attigimus. Hodie adhuc apud multos ruſticos, maximè montanos, hoc in uſu eſt; Urbani verò qui ſuos molliùs educant, barbarum eſſe credunt. Corporum adjuncta & qualitates, in varijs conſpici poſſunt.

I. Helvetiorum corporum robur, eorundem ſtaturam comitatur, id in diverſis apparet rebus: *primò* enim cùm regio ipſa maximam partem montana, multis locis aſpera, cultuq; difficilis, & magna ſui parte olim ſylveſtris & inculta, neceſſariò hominum genus, non laborioſum modò, ſed & durum robuſtumque aluiſſe, & adhuc alere credendum: ſummus igitur in excolenda terra labor, corporis vires omninò requirit. *Secundò* venatio per aſpera loca, illud ipſum demonſtrat, quis corpore infirmus montes penè inacceſſos, & ardua

ardua quævis loca conscendat? Unde Simler. lib. 2. ait. *In montibus quoties à rusticis operibus otiantur, venatione assidua se exercent, & modò capreas & rupicapras atque ibices per montes summos & præruptas rupes insectantur, modò cum Ursis & lupis, lincibus & apris congrediuntur, & honori ducitur, si quis ursorum aut luporum capita, quos interfecerit postibus præfigat, quin & à Magistratibus plerunque pramia accipiunt. Aprorum etiam capita veteri Græcorum consuetudine honoris ergò, claris & nobilibus viris, aut regionũ præfectis, quasi ἀεικείον quoddam venationis donantur.* Mantuanus etiam Helvetios facit venatores

Gens fera, contemptrix animæ, consueta per Alpes,
Figere cervos, certare ursis, nive candida semper,
Per juga veloces cursu præverterè cervos.

Varia corporis exercitia quibus, dediti sunt Helvetij, eorũ vires arguunt. Gallos nare assuetos ait *Marcellinus* l. 25. Nullã in orbe Christiano gentem esse, quæ ita se natando exerceat, ut Helvetios, qui lacus maximos, quibus abundat regio, & rapidissimos fluvios, facilè natatu superant, *Simlerus* asserit. Germani prisci omnem juventutem præcipuè tamen pueros, non molliter educabant, sed laboriosis semper exercitationibus, pugnæ etiam simulachris assuefaciebant: ut cùm ad viridem pervenissent ætatem, nihil tam difficile, aut dutum esset, quòd non remoto omni corporis dolore subire auderent; referente *Alexand.* lib.

2. cap. 25. Helvetios non minùs quàm Germanos omnibus laboribus se assuefacere certum est; modò agriculturæ navant operam; modò in alijs robur suum probant, uti sunt cursus, saltus, lapidis projiciendi, instar disci, veterum ludus, vecte certare, lucta, digladiationes, & certamina in omni armorum genere, aliaq; media ad militarem virtutem præparantia: sed de innato Helvetijs bellandi studio postea dicemus. Quibus porrò viribus, quove robore instructi à natura Helvetij, & historiarum testimonia, & populorum experientia, manifestum faciunt, magis quàm probatione indigeat.

II. Antiqui Galli corpulenti quidem erant, sed ita temperantiæ studiosissimi, ut modum crescenti ventri posuerint, quem si quis juvenum præsertim, excessisset, castigabatur. *Munst.* lib. 2. *Frey.* cap. 6. Helvetij non solùm corpulenti, sed & graves ac obesi, maxima ex parte sunt: hujus rei causa est, tum regionis temperies & aër purus, ut Gallorum exemplo in Helvetia morantium apparet, tùm vis naturalis caloris, & robustum temperamentum. Hinc fit, ut mali & versipelles non sint naturaliter; sic enim Cæsar Antonium & Dolabellam malos esse non censebat, quòd obesi essent: hic quoque *Bodinus* meth. hist. in ejusmodi corporum vastitate, minimum calliditatis ac malitiæ latere, tradit.

III. Hel-

III. Helvetiorum color generaliter loquendo rufus est & albus, *Marcell.* l. 15. omnes penè Gallos candidos facit & rutilos. Comam naturâ rufam habere, studio tamen augere hunc colorem, inquit *Diodorus*. Certè non multos nigros fert Helvetia; inter filias multis usitatum locis, rufos crines certo quodam modo mentiri, si tales à natura non fuerint; imò quamvis hoc sit, etiamnum illum colorem augent. Gallos comam nutrire (unde & Galliæ Comatæ nomen) *Clemens Alexandrinus* post *Strabonem* est author. *Plinius* lib. XI. cap. 39. refert, Allobroges fœminarum instar comam habuisse. Diversos autem circa comam habuisse mores, testantur historici. Apud Germanos Cattosque, barbam capillumve tondere nefas fuit, nisi quis ex acie hostis caput retulisset. *Alex. ab Alex.* lib. 5. cap. 18. Ægyptij omnes capillos nutriebant, barbam tamen tondebant, *Ravisio* teste. Gallos omnes promissam gerere barbam, memoriæ mandavit *Livius*. Distinguit *Diodorus*, scribens, barbam quosdam radere, quosdam nutrire parcè: Nobiles quidem radere genas, barbam verò promittere, ut corpora operiant, eò accidere, ut cùm edant, cibo repleatur, cùm verò bibant, veluti per canalem potus inferri videatur. Comam Germanis decoram fuisse refert *Seneca*: apud veteres quoque qui liberæ conditionis erant, comam magis nutriebant,

servi

servi & mancipia contrà; unde *Aristoteles* Rhet. lib. 1. dicit comam libertatis esse signum, impedit enim servienti. Nunc ad antiquos Helvetios quod attinet, cùm de ijs præcisè nihil apud Authores extet, cæterorum Gallorum consuetudinem habuisse, imò & eos sub Gallia Comata fuisse credimus. Hodie verò rustici ferè omnes, capitis capillos breves habent, barbas verò intonsas gerunt, ita ut aspectus eorum Satyris ac Panibus similis videatur, sicut ait de Gallis *Diodorus*. Sed hæc sufficiant, tædiosum enim esset hîc referre omnes mutationes, sive in coma & barba, sive etiam in vestibus, quæ quotidie in hac mundi vespera contingunt. Superioribus adhuc sæculis Helvetij tot mutationibus non erant obnoxij, ita ut extrinsecus ab alijs nationibus dignosci possent, nunc verò aliarum gentium simiæ videri volunt: sed hæc est hujus sæculi vanitas. Audiamus adhuc Daniel. Eremit. De Helvetico vestitu loquentem. *Vestitu à Germanis distinguũtur locupletissimi, fluit antibus & versicoloribus braccis, tegmine quondam veterum Gallorum. Cateri strictis & singulos artus exprimentibus, rari sagulo aut pallio utuntur. Domi tamen frugalior & rudi crassaque lana, foris cultior; per urbes per itinera ornatiores incedunt, uno atque altero servorum comitati. Fœminarum habitus elegantior; opulentiores serico, aliæ lineis amictibus velant; utræque purpura alijsq; coloribus variant, nigro ferè,*

etsi

etsi diverso capitis velamine, pilei in modum, nam centone non utuntur.

Talis fuit & est corporum qualitas; de Helvetiorum genio & ingenio aliquid dicendum. Primo intuitu, stupidi censeri possent Helvetij, aut saltem non ita acuti: nam *cùm corpus & intellectus* (ut ait Bodinus) *contrario modo afficiantur, quò major est vis hujus, eò minor est illius, & quò quisque intellectu eò minùs corpore viget.* Docet quoque nos experientia, scientiam mollem reddere animum; Turcæ bellicam fortitudinem suæ debent ignorantiæ. Hac ratione Helvetij corpore valentes, minùs ingenio pollerent; sed hoc non est axioma catholicum; habent hæ rationes, ut plurimùm, non verò semper, suam veritatem. Iam Cæsaris tempore ipsos græcis literis operam dedisse supra monuimus. Divico qui bello Cassiano Helvetiorum Dux fuerat, non minùs bene dicendi quàm belli gerendi arte clarus fuit. Postquam etiam Romanis Helvetij parueruntapud eos bonarum artium, & linguæ latinæ studium florere cœpit. *Plinius* lib. 3. cap. 5. Inter Italiæ laudes ponit, *quòd tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio, contraxerit ad colloquia, & humanitatem homini dederit*; sensim enim sparsa latina lingua, generis humani bono, tam longè latèque, ut omnes ferè homines, suo ævo, ea usos *Plutarchus* scripserit. Gallos Augusti tempore Barbaros am-

pliùs dicendos negat *Strabo*. Claudius Coſſus Helvetiorum legatus facundiâ celebris fuit, ut oſtendit *Tacitus*. Vide *Hotting*. in meth. leg. hiſt. Helv. pag. 535. Cauſidicos in Helvetiâ fuiſſe teſtatur Epitaphium quoddam, quod meminit cujuſdam eruditi cauſidici, annum tantùm decimum octavum agentis. Habuit Aventicum ſuos Medicos & Profeſſores, qui ſine dubio Philoſophiam Academicam & Stoicam, tanquam Helvetiorum moribus & veteribus opinionibus maximè congruentem, docebant. Videatur inſcriptio quam referemus ad Urbem Aventicum. Sed de poſterioribus Helvetijs agamus. Sunt, qui Helvetijs, ſtuporem, ingenij tarditarem, literarum odium malignè exprobrent, montanam & brutam gentem eſſe publicè ſcribentes, ſic *Theſ. polit. Ingentis Helvetiorum nihil craſſius, nihil pinguius, nihil incultius, præſertim olim.* Quaſi verò amœnis Alpium receſsibus Muſæ non delectarentur? Quod ſi ante reformationem non multi in Helvetia extiterint literati, commune fuit, ut ait *D. Hotting*. Europæ fatum, nec Helvetiæ genti armis ubique occupatæ, exprobrandum, quod totum mundum inundavit. Quamvis autem Helvetia, armis nobilior fuerit, quàm literis, juxta *Eraſmum*, quamvis Helvetij Gallis ingenij acumine & promptitudine inferiores videantur, non tamen protinus, eos eſſe omnis prorſus judicij expertes, cenſen-

censendum est : fortitudo bellica judicium non tollit. Verum quidem, literas apud nostros majores, non ita cultas; nostra tamen ætate, teste *Simlero* lib. 2. in omnibus Helvetiæ pagis, omnium ordinum viros, variarum linguarum, & artium peritos invenies. *Literas scire quàm videri malunt, multique sciunt multa*; sicut ait *Daniel Erem.* Multi quoque latinæ linguæ ignari ; nihilominus omnis generis historias ex veteribus authoribus, Germanicè aut Gallicè redditis, diligenter cognoscunt, & libris vulgari linguâ scriptis, instructas habent bibliothecas. Vetustissimæ in Helvetijs scholæ, olim in S. Galli cœnobio, & in Curiensi collegio fuerunt, antequam Monachi laborem cum ignavia, & scientiam cum ignorantia commutassent. Academiam florentem olim à Pio Papa institutam, Basilienses: celebres scholas Tigurini : frequentia Bernæ & Lausannæ collegia Bernenses habent. Tigurinorum, & Basilienſium typographicas officinas celeberrimas & instructissimas prætereo. Viris doctis etiam clara Helvetia. *Habuit illa*, inquit Theod. Zuing. theat. lib. 1. *Conradum Gessnerum Tigurinum, Helvetiæ decus ; Huberum Basilienſem, in quo perfecta Medici idea, Uldaricum Zazium Constantienſem luriſconſultum insignem, ab Italis, paucis alioqui Ultramontanorum laudatoribus, ſummo in pretio habitum.* De clarorum apud Tigurinos virorum numero

Buxtorffium audiamus in præf. dissert. Philolog. *Testes sunt hujus rei, tot viri ob variarum rerum præclaram scientiam, & æternitate dignissima literarum monumenta, toto orbe celeberrimi, quos urbs vestra semper, à superiore præsertim sæculo, vel produxit, vel gremio suo benignissimè fovit. Taceo nunc Theologos, immortalibus scriptis claros, quorum solorum numerus justum posset catalogum conficere. Philologos, Historicos, linguarum omnium, & omnis antiquitatis peritissimos, si quis requirat, ubi præstantiores & celebriores, quàm inter vestrates, reperiet? Conradi Pellicani, Theodori Bibliandri, Guilielmi Stukij, Rodolphi Hospiniani, Conradi Gessneri, Caspari Waseri, Lavaterorum, & aliorum nomina, atque indefessi laboris, inexhaustæque in philologia doctrinæ, scripta, quis nisi qui literas penitùs omnes ignorat? Quæ regio in terris horum non plena laboris? Quis in antiquitate angulus, quẽ illi non excusserint? quæ lingua, quam non excoluerint? quæ scrinia, quæ illi non perquisiverint? quid obscuri, quod illi non illustraverint?* De Bullingero Tigurino pastore sic Thuanus lib. 61. *Henricus Bullingerus Bremogarti Helvetiorum oppido natus, anno hujus sæculi quarto, Helveticæ confessionis post Zuinglium & Oecolampadium summus propugnator, & illo mortuo ad Tigurinæ Ecclesiæ curam vocatus, sed mitiore quàm Doctor suus ingenio præditus, in qua cum XLIII. annos egisset, variis ac propè infinitis scriptis editis tandem senio gravis decessit 15. Cal. Oct. anno 1575.* Elogium Josiæ Simleri mihi prætereundum non

non videtur, de quo idem Thuanus lib. 62. *Josias Simlerus Capellâ in Helvetiis natus ultimum vitæ diem clausit Tiguri, an. 1576. cùm tantùm XLV annos exegisset, animi candore, & omnijuga eruditione præstans, qui Petro Martyri Vermilio successor in schola Tigurina datus, stylum præcipuè in Samosatenos, Arrianos, Nestorianos, Eutychianos, Macedonianos, & nuper veluti ab inferis hoc ævo in Poloniæ excitatos Tritheitas, strinxit, aliis scientiis egregiè instructus, ac præcipuè Mathematicis, quas & per se percepit, & summa cum laude diu professus est, & instrumentis ingeniosissimè à se excogitatis illustravit, in bonis literis & excelluit, & de Republica Helvetiorum commentarium magnâ prudentiâ scripsit, ac præterea de Alpibus & Vallesia commentarium edidit, patriam etiam historiam, ab Ægidio Tschudo viro doctissmo vernaculâ linguâ olim inchoatam, publico daturus, nisi eo in literis assiduo & arthritide ac calculi intolerandis doloribus in horas afflicto, properata mors, & præclarum rei literariæ juvandæ desiderium, & conceptam de optimi viri laboribus spem abrupisset.* Testatur *Frey.* cap. 10. Alchimiam Helvetijs deberi, parente Aureolo Theophrasto Paracelso Helvetio; is enim, ut ait *Ramus in sua Basilea*, in intima naturæ viscera sic penitus introivit, metallorum stirpiumque vires & facultates tam incredibili ingenij acumine exploravit ac pervidit, ad morbos omnes vel desperatos, & opinione hominum insanabiles percurandum, ut cum Theophra-

sto nata primum medecina perfectaq; videatur. Platterorum ex Vallesia oriundorum, aliorumque infinitorum, de quibus idem Ramus & alij, non memini; eorum enim si enumerationem vellem instituere;

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

CAPUT XX.

De variis Helvetiorum moribus.

SIc se habet Helvetiorum genius, tum quoad corpus cum suis adjunctis & qualitatibus, tum quoad ingenium & judicium: peculiares eorundem mores, vel circa *habitandi*, vel circa *vivendi* rationem, versantur.

De domiciliis.

Varia fuisse veterum domicilia testantur authores. Gallorum domicilia, teste *Cæsare*, plerumque in sylvis, aut circa flumina, æstus vitandi causâ; eaque ex scandulis robusteis aut stramentis, *Vitruvio*; è tabula & cratibus rotunda, testudinumque instar constructa, magno imposito fastigio, tradit *Strabo*; stipulâ verò tecta fuisse *Plinius*. Hypocaustorum usum habuisse documento est Iuliani Imperatoris in misapogone historiola. *Merul part. 2. lib. 3. c. 14.* Nullas Germanorum urbes, teste *Tacito, de mor. Germ.* populis habitari satis notum, ne pati quidem junctas inter se sedes, sive adversus ignis

ignis casus, sive ædificandi inscitiâ. Helvetios autem non tam barbaros fuisse, ut urbibus carerent ex, *Cæsare* patet, qui duodecim oppida, & quadringentos vicos eos habuisse scribit *lib. 1. Bell. Gal.* Ex qua porrò materia suas olim domos extruxerint Helvetij; non ita certum; eas fuisse ligneas (tum ob lignorum, quibus ipsa abundat regio, copiam, tum quòd ex variarum urbium, multorumque vicorum ruinis, vix aliquæ superstunt reliquiæ) verisimile est. Interim urbes non inscitè conditas & constructas eos habuisse, unum testatur Aventicum, de quo Ammianus lib. 15. *Aventicum desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta quoque demonstrant.* Hypocausta habuisse, sicut Gallos, credibile est, quòd regio naturâ frigida sit. Hodie vici quamplurimi, in montibus maximè, aut propè sylvas, domos ligneas, sed eleganter & commodè adversus frigoris vim constructas habent. Magnificis quoque urbibus, in quibus admirandi operis ædificia conspiciuntur, Helvetia non caret. Unica Berna, vix ulli alij cedat; de qua sic Daniel Eremita. *Berna eleganti & pervenusta ædium omnium & viarum similitudine, nulli urbium quàm sibi similis. Ædificia habet mirabiliter exstructa, nam licet tutum circumire sub porticibus cameratis totam ferè urbem etiam pluviosissimo tempore.* Nihil hic de Basilea, Tiguro, alijsque dicam, templi etiam Lausan-

nensis laudes reticeo. Ad suppellectiles quod attinet, illis suas, sive in urbibus, sive in pagis, instructas & ornatas domos divites habent; pauperes verò, ut alibi sunt pauperes. De cubandi modo, aut alijs ejusmodi rebus, nihil apud Antiquos reperitur. *Polybius*, super strato gramine, *Diodorus* in ferarum pellibus, Gallos dormivisse referunt. Utrum hoc apud *Helvetios* in more fuerit positum, incertum: verisimile potius est eos, cùm & urbes & pagos habuerint, ab ejusmodi barbarie fuisse alienos, hodie molles habent lectos, in quibus super culcitis plumeis decumbunt; Gallis autem hodiernis laneæ culcitæ magis placent.

De vivendi modo.

Porrò vivendi rationem quod attinet, considerari potest, vel in œconomicis, vel in Ethicopoliticis. *Plinius* lib. XI. cap 41. miratur, barbaros lacte vesci; Græci enim omnis generis cibis, lacte excepto, utebantur. Author ex *Possidonio Athenæus* est, Italos veteres ita frugalitate insignes fuisse, ut ad Posidonij tempora aquam ferè biberent, & quidquid obijceretur, esitarent, referente *Rhodiginio*, lib. 4. cap. 9. Notum verò, hoc cum tempore mutatum, & talem frugalitatem jam exulasse; Antiquos *Helvetios*, non minùs quàm hodiernos, ex carnibus, caseo, butyro, lacte & similibus, cibum sibi comparasse juxta regionis qualita-

qualitatem, de qua cap. IV. credibile est. Quemadmodum autem temporum mutatio facta est, ita degeneravit in vitium virtus: perijt magna ex parte illa veterum in victu & omni vita frugalitas & temperantia. *Non est illa*, inquit Simlerus, *continentia & parcimonia quæ olim fuit, cùm absque stipendijs exterorum Regum & Principum omnes suo labore & industria victum sibi compararent.* Qualis sit Helvetiorum œconomia, ostendit Quadus. *Hodie viris juvenibusque minimè ignominiosum est & vaccas mulgere, & reliqua puellaria munia obire, quare mirum videri queat eandem gentem summæ fortitudinis ac penè infinitæ servitutis capacem, &c.* Hoc de Helvetijs montanis maximè intelligendum. Hactenus etiam Helvetij Agriculturæ dabant operam, tunc vivebant ut, ait *Iuvenalis.*

--contenti casulis, & collibus istis,

tum, ut inquit Boetius;

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu:
Facili quæ sera solebat
Iejunia solvere glande.

Tunc, inquam, ut loquitur Cicero pro Roscio Amer. *Vita rustica, quam nos agrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra* erat.

Antiquitus mutuæ fraternitatis & humanæ societatis fovendę causâ, instituta & ad praxin revocata cõvivia, sive privata sive publica apud

omnes ferè nationes. *Populus ipse Helveticus*, teste Simlero lib. 2. *maximè omnium publicis delectatur conviviis, in urbibus quidem opificum collegia, aut civium societates peculiares ædes habent, his conventibus destinatas, in agro verò singuli publicam domum habent, quam quòd amicitiæ causâ eò conveniant, sociorum domum nuncupant.* Hactenus in illis convivijs non sumptuosè aut delicatè vivebatur, sed plerumq; uno aut altero carniũ ferculo convivium finiebatur: quod quidem adhuc obtinet in ordinarijs convivijs, & apud multos, quibus habendi plura non datur facultas: aliàs apud divites sumptuosè satis vivitur atque opiparè; illic carnes ferinæ cervorum, aprorum, urforum, rupicaprarum, leporum, &c. inter volatilis generis carnes quoque habentur, Phasiani, tetraones, rusticulæ, perdices, turdi, coturnices, columbæ, gallopavones, alaudæ, capi &c. Desunt minimè varij generis pisces, inter quos maximè in pretio habentur truttæ. De Helveriorum convivijs sic Daniel Eremita. *Epulæ operosæ magis quàm delicioſæ, & quamvis inconditi, largi tamen apparatus, cibi simplices sed copiosi. Apud Rhætos ferina & agrestis, cujus idem apud illos usus, qui apud nos bubulæ aut ovillæ, mures montanos & mihi in solenni convivio apposuerunt.* Quod tamen non de omnibus, sed de montanis & rusticis Helvetijs maximè, est intelligendum; aliàs ordinariè satis sunt bubulæ, vitulinæ, veruecinę

&

& ſuillæ, quibus ſalſis ſæpè utuntur, & ipſis maxima ſupperit copia, ita ut Helvetij quidam σαρκοφάγοι alij, verò ἀρτοφάγοι, nominati poſsint. Refert *Diodorus*, humanis carnibus Gallos vixiſſe, crudas verò Germanos voraſſe, ſcribit *Mela* lib. 3. quam barbariem antiquis Helvetijs tribuere non poſſumus. Tradit *Ariſtophanes*, à barbaris gentibus eos modò credi viros, quibus vorandi plurima, & bibendi facultas eſſet: Verum quidem, Helvetios multo cibo ac potu uti, ſed requirit hoc tum regionis frigiditas, tum validus eorum ſtomachus, & magna corporis moles: Fatendum tamen eſt, in hocce corrupto ſæculo, variè in exceſſu peccari, non enim aut cibis communibus, aut ijs quæ naturæ ſufficiunt, contenti ſumus, ſed varias quærimus cupedias, quibus gulam noſtram irritamus, & ventrem præter neceſsitatem replemus.

Hactenus conviviorum materiam vidimus: Convivæ ſunt, non ſolùm viri, ſanguine, affinitate, aut amicitia & ſocietate conjuncti, ſed & quandoque cum maritis uxores advocantur. Afferunt *Rhodiginius* lib. 7. c. 54. & *Willichius in Tacitum*; Celtas & Gallos quidquid contentionis & inteſtinorum odiorum eſſet, per fœminarum interventum compoſuiſſe; idem ferè contingit inter Helvetiæ Germanicæ ruſticos, habent illi in ſuis epulis, ut plurimùm uxores comites, quæ, ubi inter maritos

tos ebrios non convenit, lites componere solent. In convivijs verò honestioribus, quod apud Lacedæmonios lege cautum erat, ut seniores & Magistratus his interessent, quò decorè & moderatè cuncti agerent, id apud Helvetios ex veteri consuetudine sponte fit, ut in eodem sint cœnaculo omnes tribules, & illius societatis principem teneant locum Magistratus & seniores, sicut loquitur *Simler, lib. 2.* Quomodo autem se in his convivijs gerant, ostendit Daniel Erem. *Convictibus non alia gens effusiùs indulget, sine loci, personæ, temporis discrimine, ijsdem epulis, eodem potu, quemvis excipiunt: cum familiaribus & notis familiariùs & diutiùs adsident comi semper vultu; Tanquam volentes & non inviti faciant.* Veteres finito convivio, eruditas confabulationes, deinde fides & tibias, ac symphonias adhibuerunt, quibus majorum laudes carmine decantabant. *Alex. lib. 5, c. 21.* Olim apud Helvetios rarus erat in convivijs musices usus, quod majorem ex mutuis colloquijs, in quibus sæpe de privatis, plurimùm de publicis rebus disputabant, delectationem percipierent, præsertim verò senioribus, res præclaras vel à majoribus, vel à se gestas, commemorantibus: hodie satis frequens est, musices & varij generis fidium usus; *delinimenta quoque soni adhibent, sed incultis inconditisq́, numerorum modulis* Dan. Erem. hoc de rusticis intellige.

Quem-

Quemadmodum verò veterum Helvetiorũ in omnibus moderatio & temperantia sumam meretur laudem, ita hodie eorum, qui nocte dieq; bacchanalia vivunt, ebriositas vituperio non caret; de hoc vitio, præcedenti sæculo conquerebatur *Simlerus:* Quid verò dicturus non esset, si hodiernorum Helvetiorum mores cerneret? aut aliarum gentium exprobrationes audiret? Hic digito labellum compesco, nec multa dantur argumenta, quibus hoc Helvetiorum excusari possit vitium; ipsis quasi quarto modo proprium, ut Galli vulgò sentiunt: Vide, quæ super hac re habet liber, cui titulus, *Les Estats & Empires, &c. Ils aiment extremement à faire carous, & y passent les jornées & les nuicts entieres, & ceste procedure est si avant, qu'on ne sçauroit faire aucun affaire, ni contracter amitié qu'en bevant à toute reste: Veu que ceux qui boiuent davantage, ou qui s'enyurent, sont estimés plus francs & plus hõmes de bien que les autres, qui refusent de faire ces exces domageables au corps, & à l'esprit. Et mesmes ils ne se contentent pas seulement de cela, cõme on fait en Flandre, & en tous les Pays-bas; mais encor si quelqun refuse de se noyer de vin, ils luy porteront soudain le poignard à la gorge, & ce qui luy deburoit seruir de gloire, luy sert de suject de querelle.* Sed virulentius adhuc Daniel Eremita. *In potu delicia, in potu voluptas, nullo impensiore ad alia gustu, in hoc conveniunt, in hoc coeunt, in hoc negotiantur, hoc auspicantur, hoc initiantur, hoc peragunt, inde dies noctesq;*

ad eſq; potando trahunt. Ebrietas nulli probro, ſaturi à convivio ad vomitum & ad reliqua exeunt, exonerati redeunt, penatum domusq; curâ fœminis liberiq; delegatâ, mirâ parcimoniâ ac frugalitate viventibus, quò maritorum gulæ parcatur, continuò popinis adſidentium. Etiam de rebus agendis inter pocula conſultant: præclarè aut à majoribus, aut à ſe geſta tanquam audientibus exemplo futura, libenter memorant, eadem quâ cætera libertate ſe ſuosq; extollunt, aperiunt quoq; ſecreta pectoris ſui per vinum nihil ſilentio tranſmittentes. Nec dies tantùm potu & ſermone trahunt, in ætates ducuntur pocula. Hyeme juxta focum & hypocauſtis adſident, ſed tum incluſi & ægrè advenas hoſpitio excipientes: ſtultum videtur fovere illos, qui ſibi ipſis parcere neſciant, tali tempeſtate foràs euntes. Raræ ut inter vinolentos rixæ, raræ contentiones; Sed & illæ de æmulatione armorum aut rerum præclarè geſtarum; ſæpius convitijs, rarò cædibus aut vulneribus tranſiguntur; quod mirum in continua ebrietate eſt. Quin etſi quando vehementiùs in ſe inſurgunt, depoſitis in medium armis, pugnis rem manibusq; decernunt: ſed eodem momento conveniunt, ijsdem epulis, ijsdem poculis, à quibus ſurrexere, conciliantibus; & nullo alio ex contentionibus damno, niſi quòd innovata pocula in noctem ducantur. Quis verò tot reticeat convitia? Scilicet regerendi nobis non eſſet locus; an non idem vinolentiam Helvetijs, exprobrantibus dicere poſſemus, quod Germanus quidam Italo reſpondit.

ut

ut nos dulce merum, sic vos Venus improba vexat.

An temulentia Helvetijs sit propria tantùm, ut volunt Sycophantæ, consulendus est *Plinius* lib. 14. c. 22. Num Helvetios vinolentos magis quàm alios facit? Videtis ergo in nulla mundi parte ebrietatem cessare, tanquam ad perdenda vina essemus geniti, & effundi illa non possint, nisi per humanum corpus: Quod olim prædixit Seneca. *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus erit.* Id in moderna ætate eveniisse forsan existimandum est, imò & antiquum obtinere; sic enim Galenus. *Optimus censetur, non qui sermone philosophico uti novit, sed qui multos maximosq; calices exsiccavit.* Polybius lib. 2. refert, Gallos ob immoderatas crapulas & ebrietates seditionibus deditos. *Marcellinus*, Gallos vini avidum genus vocat. *Tacitus*, Germanos quoque facit bibaces. Ariæi singulis diebus fiebant ebrij, teste *Alex.* lib. 2. c. 14. Non ergo soli Helvetij perpotationibus fuerunt, aut adhuc sunt dediti. Germani hodie illis hac in re sunt superiores, quid si ebriositatem non minùs quàm linguam ab illis mutuaverint? Galli etiam non sunt abstemij; illi generosis vinis utuntur, Helvetij vero vilia bibunt. Hæc autem dicuntur, non ut prorsus ab ejusmodi vitio eximantur, sed ut discant calumniatores tritum illud:

Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

Ita

Ita vulgò contingit, ut qui in alienis sunt oculatissimi, in proprijs cæcutiant. Verum quidem, plurimos Helvetios, maximos esse potatores, interim tamen multi dantur sobrij & temperantes, imò leges vinolentiam prohibentes sunt à Magistratu positæ, sub gravibus satis pœnis; sic enim Petrus Mosellanus: *Multa quidem præclarè in sua ditione instituunt fortissimi libertatis suæ defensores Helvetij, sed nihil præclarius, nihil laudabilius, nihil Reip. utilius, quàm quòd ab illis nuper scitum est. Nam cùm per ebrietatem passim peccari viderent, ut aditus ad id vitij omnes præcluderent, in sua ditione statuerunt, ne cui deinceps alio vulgarium istarum innutationum prætextu ad ebrietatem solicitare impunè liceat.* Jam antiquitus si quis ex ebrietate aliquoties peccasset, non tantùm carcere puniebatur, sed illi quoq; vinum ad annuum tempus interdicebatur, teste *Simler.* lib. 2. Maximè autem apud Reformatos Helvetios Leges de mulctandis ebriosis, vigent. Videte nunc, ô Helvetij, quo nomine apud exteras nationes audiatis: Ad praxim revocate Apostolicum effatum. Ephes. c. 5. v. 18. *Ne inebriamini vino in quo est ἀσωτία.* Quid enim aliud est ebrietas quàm litium mater, furoris genetratrix, petulantiæ magistra, rabies voluntaria, invitatus hostis, honestatis illecebra, & pudoris injuria. Sed quid non ebrietas designat? Judicium rationis offuscat, naturalem virtutem enervat, infirmi-

firmitatem generat, rebus temporalibus spoliat, mortem adducit, & Divinam maledictionem inducit.

Sera juvenum Venus, inquit *Tacitus* de moribus Germanorum, imò nulla apud antiquos Germanos erant scorta, teste in Tacitum *Willichio*. Utinam adhuc hodie, sicut olim apud Helvetios, locum haberet ejusmodi castitas, & à Venere abstinentia. Quî fit, ut hodie non ita corpore valeant Helvetij, sicut præcedentibus sæculis, nisi quia gulæ nimiùm indulgetur, & à teneris annis Venus improba colitur. Hoc agnovit *Vergilius*.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Unò namq; modo, vina Venusq; nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus, debilitatq; pedes.

Sic Propertius lib. 2. Eleg. ad Cynthiam.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Ergo secundùm eundem Vergilium:

Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Servat, hos fines transiliisse nocet.

Saltationibus, Græcos, Indos, alios q; tum in sacris, tum in prophanis fuisse deditos testatur *Rhodigin.* lib. 3. c. 3. Helvetij, *saltu etiam capiuntur, sed ad sonum tympani gravi & affectato incessu, ita tamen ut delectari videas*, sicut loquitur *Dan. Erem.* Vitium, vanitas & delirium est hodiernum, maximè apud Helvetios montanos, qui à choreis & saltationibus non magis quàm

à pane abſtinere poſſunt: Videas ipſos inter ſaltandum corpus inſano modo ita agitantes, ut, præcipuè apud ruſticos, amentes potiùs quàm ſani homines cenſendi ſint. Apud emendatæ tamen religionis cultores (ſic Reformatos vocat Thuanus) hæc inſani & ſtultitia eccleſiaſticis legibus ſub gravi mulcta condemnatur.

De Helvetiorum Juſtitia & æquitate.

Quemadmodum Helvetiorum Rempub. ſumma æquitate conſtitutam, & juſtitiæ laude, ex legibus, fœderibus, inſtitutis, moribus veteribus, plurimis denique factis & exemplis, claram fuiſſe conſtat; ita ſemper æquitatis & juſtitiæ ſtudium apud ipſos viguit, idq; abſq; ulla perſonarum acceptione, ut apparet Orgetorigis exemplo apud *Cæſarem lib. 1. bel. gal.* & in omnium in juſtè oppreſſorum gratiam. *Exempla* (inquit Hottinger. in Iren. Helvet. p. 171.) *non pauca ſuppeditant annales domeſtici: Luculentiora ſunt, Maximilianus Sforția Dux Mediolanenſis, & Renatus Lotharingus, Etterlin. p. 95. Gradleri ex Styria, & Fulachij Mylhuſini. Id. p. 82. Ne privatis quidem civitatis Helveticæ jure donatis ſuum denegabant patrocinium, quod an. Ch. 1460. contra Campidonenſem Abbatem in œnopola cujusdam gratiam feliciter ſuſceperunt; Tſchach. p. 151. vide Siml. Remp. lib. 2. p. 129.* Sic in Juſtitiæ Helveticæ laudem loquitur *Gillius* in annal. Franc. *Ab eo tempore cœperunt Helvetij ſuis dominijs juſtè*

juſtè & æquiter præeſſe, multaq; eximia & magnà prælia fortiter pugnarunt, pro defenſione ſuarum terrarum, privilegiorum, juris eccleſiaſtici, viduarum & pupillorum ſuæ ditionis, unde magnam ſunt conſecuti toto orbe famam & gloriam. Zuing. theat. lib. 13. *Populi Helvetij inferendis ſententijs æquitatem & juſtitiam ſummi ſæpe Principes admirati ſunt, ita ut non rarò gravißimæ controverſiæ, juſtißimo Helvetiorum arbitrio committerentur.* Reges autem & Principes apud Helvetios facti ſui rationem reddere non puduiſſe, oſtendit memorabilis illa epiſtola Matthiæ, Hungariæ & Bohemiæ Regis, quâ ſe Helvetijs, ob bellum Imperatori exinopinato illatum, ſolicitè purgat, anno 1480. Epiſtolam vide apud *Hotting. in Ben. Helv.* p. 171. &c. De Helvetiorum æquitate in nominibus exigendis, in rixis & pugnis dirimendis, in criminibus puniendis, in itineribus ab omni periculo repurgandis, aliiſq; ſimilibus, vide *Simler. lib. 2.* Antequam autem ulteriùs progrediamur, nobis adhuc audiendus *Bodinus* (qui tamen in omnibus non ita bene de Helvetijs loquitur) is in meth. hiſt. ſic ait. *Quid Helvetij? Qui cùm à Suecis originem traxerint, non modò ſeipſos, ſed etiam finitimos populos tyrannide oppreſſos in libertatem vindicarunt, Auſtria Principes ſæpe fregerunt: Germanis maximas clades intulerunt, Imperij Germanici non minimam partem armis occuparunt: Demq; tantum armis ac viribus profecerunt, ut Principum cenſores ac magiſtri vocentur.*

De Fidelitate & Constantia.

Talis fuit *Helvetiorum* Justitia: *Hanc* comitatur in promissis exequendis, alijsquerebus, fidelitas & constantia, nec enim illi hactenus subterfugia quæsiverunt, sed rotundè & sincerè egerunt, maximè verò, antequam aureis Regum & Imperatorum asellis patefactæ essent Alpes: Tunc ipsis mens immota manebat, ut loquitur *Virgil.* nec fluxam gerebant fidem. Non laborarunt Gallorum infirmitate, qui in consilijs capiendis mobiles erant, & novis plerumq; rebus studebant; teste *Cæsare lib. 4. bel. gal.* Abfuit enim, in hoc usque tempus, ab *Helvetijs* omnis animi levitas;

Odi etenim ceu clausira Erebi, quicunq; loquuntur
Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore claudunt.

Homer. Iliad. 9. Nondũ apud *Helvetios* impiũ Machiavellicum illud receptum est axioma; *Principi pejerare, fallere & dissimulare sine ulla dubitatione licere.* Norunt illi legem Dei, & Sophoclis dictum.

Apposito jurejurando cautior & diligentior
Animus fit. A duobus enim sibi cavet tum,
Et ne lædat amicos & ne peccet in Deos.

Hanc Helvetiorum fidem celebrat *Jovius* lib. XI. *Populus Helvetius, fide, virtute & recenti victoria inclytus, specioso decoroq; titulo, defensor Pontificiæ libertatis appellatus est.* Hac de causa jam ab antiquo tempore eorum amicitia, & auxilium

lium à varijs quæsitum, & ut ait Vadianus in Melam, Principum stipatores facti sunt. Sic Becanus Jesuita opus. lib. 1. *Quare Pontifex Romanus, Rex Christianissimus, & nonnulli alij Principes, pro custodia corporis adhibent Helvetios? Propter fidelitatem.* Sed aliter sentit Bodinus, dum ait. *Helvetios, Reges magna mercede semper quæsiverunt, non quòd viribus suorum, ut ineptè plerique arbitrantur, diffidant: Sed quòd intelligant, in illa vastitate corporum, minimum calliditatis ac malitiæ latere*; eosque potiùs militis, quàm Imperatoris munere delectari.

De Hospitalitate.

Hospitalitas apud gentem Helveticam semper commendata fuit: *Johan. Magnus* lib. 4. cap. 2. refert, vix alibi in tota Europa promptiorem liberalioremq; hospitalitatem, quàm apud Suecos & Gotthos, hodie inveniri: Sed non minor est Helvetiorum erga extraneos humanitas, & erga egenos beneficentia; Advenis enim apud se habitandi potestatem liberè faciunt, modò quietè vivant, & quamvis regio ipsa immensis non abundet opibus, maximus tamen est Xenodochiorum in Helvetia numerus, tantaque peregrinorum emendicata stipe victitantium copia, quanta vix reperiatur, vide *Simler.* lib. 2. pag. 130. *Vadian.* in Mel. p. 175.

CAPUT XXI.

De Helvetiorum religione.

HElvetiorum privatos præcipuè mores vidimus; magis publici nunc inspiciendi sunt: conspiciuntur autem illi vel in sacris, vel in prophanis: hoc capite de eorum tum Ethnicismo, tum Christianismo agemus.

De Helvetiorum Ethnicismo.

Nullam nationem esse tam barbaram, quæ numen aliquod non agnoscat & colat, testatur Cicero, vir alioquin à veri Dei notitia alienus. *Helvetios antiquos*, sub universalibus Ethnicismi tenebris constitutos, aliorum Ethnicorum more commentitia numina Deos & Deas coluisse ex variis inscriptionibus, certum est. Notanda autem hîc est *Frey.* c. 4. observatio. *Pleramque*, inquit ille, *partem Celtas non fuisse idolorum cultui mancipatos, inde certum esse potest, quòd Dei signa, altissimas quercus arbitrarentur, nec templa ædificarent; indignum rati Deum in humani oris similitudinem effigiare, parietibusq; Deum cohibere, sed lucos & nemora consecrabant, Deiq; nomine appellabant.* Videatur super hac re *Plinius* lib. XII. cap. 1. Ejusmodi lucos habuisse Helvetios, conjici potest ex loco illo, qui apud Antoninum nominatur Penne lucus, de quo suo loco.

Sicut

Sicut verò eosdem ferè cum reliquis Gallis mores, ita & quoque religionem habuerunt Helvetij; cum Germanis commune aliquid habuisse vult *Guillimannus*, eorum tamen religionem ad Gallorum magis, quàm ad Germanorum cultum, accessisse credit *Simler.* Mss. Imò ex inscriptionibus diversis locis inventis Romanorum Deos, sive id suis institutis, sive Romanorum consuetudine à Julij Cæsaris temporibus factum fuerit, coluisse apparet. De Gallorum autem religione sic Cæsar lib. VI. Bell. Gal. pag. m. 213. *Deum maximè Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atq; itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasq; habere, vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem & Martem, & Jovem & Minervam, de his eandem ferè quàm reliquæ gentes habent opinionem, &c.*

Jovem ab Helvetijs cultum ostendunt, tum inscriptio Paterniaci reperta, tum duo loca, ubi Jupiter Penninus summo erat in honore, & quæ à Jove Pennino denominabantur. Prior locus erat in illius montis vertice, qui hodie à S. Bernardo nomen habet, de quo supra cap. VIII. posterior erat Penne lucus, de quo alibi.

Apollinem in Helvetia pro numine agnitum, arguunt quædam inscriptiones tum Genevæ, tum Aventici inventæ.

Mercurium quoque coluerunt Helvetij, ut

apparet ex ſtatua Mercurium referente, quæ adhuc non ita pridem ex parte Vindoniſſæ cernebatur. Sunt & varia loca, quæ adhuc hodie Mercurij nomen retinent; Sic extra Salodorum porta occidentali eſt Hermesbuchel, quaſi Mercurij collis. *Guillim.* pag. 123. Mercurium autem fuiſſe ſolem, ait *Macrobius* Saturn. lib. 1. De hoc ſic *Frey* cap. 4. *Mercurium, magnum fuiſſe Celtis numen, Cæſari quidem dictum, ſed indictum, quo aut agnomine aut cognomine cultum. Aliunde mihi certißimum eſt Trismegiſti, ſeu ſi mavis Ter Maximi fuiſſe epithetum Gallis ſolenne. Dubio procul de Auguſtißima in Divinis Trinitate, unde tandem aliquid innotuerat. Maximum ſcilicet Patrem, Maximum Filium, & Maximum Spiritum, ideoque ter Maximum, Mercurij licèt nomine venerati.* Sed levis eſt conjectura. Mercurium etiam coluerunt Germani; reſte Tacito, cui certis diebus humanis quoque hoſtijs litare fas erat; imò religioſiſsimum putabant, *Alexand. lib. VI. cap. 26. Quid ergo dicemus,* inquit D. Hotting. *an ab hac crudelitate barbarica majores noſtros excuſabimus? quî verò id poſſemus, cùm factum negare non poſſimus? quis enim credat, eos aliter feciſſe, quàm tum tota faciebat Gallia & Germania?* neque ſolùm Germania, ſed ipſa parens *domina rerum Roma. Excuſat hoc* Frey cap. 4. *his verbis: Non eſt, quòd jurati Gallorum hoſtes Romani crudele hoc facinus deteſtentur, quis enim neſcit jure belli licitum*

licitum captivos occidere? cur igitur eodem gentium antiquissimo, quod humana ratio dictavit, jure, illicitum fuerit, captivos ad aram seu immolare seu occidere?

Deas quoque habuerunt *Helvetij*; & primò quidem Isidem, ut ex quadam dedicatione in templo Vettingæ propè aquas *Helveticas* (Baden) & Regensberg, apparet. In pago Tigurino inter Albium montem, & Ursam fluvium, mons est, in quo multa adhuc veteris cujusdam ædificij rudera reperiuntur, vulgus locum, sua lingua, Ethnicum templum nominat & montem *Isembergium* q. d. Isidis montem, unde ibi Isidis fanum aliquod fuisse conjectura est. *Simler.* Mss. *Hotting.* p. 529. Istius Deæ mentionem facit *Tacitus*, cùm Suevorum partem Isidi sacrificasse affirmat: Idem quoque conjicit Isida Ægyptiacam ex navigio in Germanicam venisse, ut ex Dialogis Luciani non est obscurum. *Willichius* in Tacit. eam Herculis matrem fuisse, quæ sub Suevo VII. Thuisconum Rege in Germaniam venerit, credit. *Servius* autem ex ea terram facit. *Plutarchus*, & ante eum *Diodorus Siculus* lunam esse fingunt, unde juxta Plutarchum est περιφορεα, corniculata Lunæ modo, quam sub Isidis idolo Ægyptios coluisse affirmat *Sabellicus* Enn. 1. lib. 1. Hanc in *Helvetiorum* tractu præcipuè cultam vult *Willichius*. Testatur etiam *Eponam* Deam agnovisse *Helvetios*,

vetios, inscriptio quædam Salodori: De hac *Prudentius* in Apotheosi. Eadem videtur esse, quæ *Hippona* quasi stabularia, quòd jumentis præsit ut conijcit *Simler.* Mss. Quidam mendum esse arbitrati sunt & DEÆ BONÆ legendum existimarunt: Sed non tantùm in hac inscriptione expressè nomen *Eponæ* positum est, sed idem in quadam Carinthiæ inscriptione legitur, ut ostendit C L. *D. Hotting.* p. 531.

Dea *Aventia* in summa quoque fuit veneratione, imò totâ Helvetiâ, celeberrima, ut variæ ostendunt inscriptiones, de quibus postea, si Deus dederit, ad locum vulgò Germ. dictum. Munchevvyler. Hujus templum fuit in colliculo supra Aventicum, sicut ait *Guilliman.* cujus vide conjecturas pag. 126. *Simler.* Mss. eandem cum *Diana Aventina*; quæ Romæ colebatur, fuisse conijcit, de qua *Propertius*, & *Ovidius.*

---- Aventino luna colenda jugo.

Fortè hoc modo Helvetij, sicut de Massiliensibus refert *Strabo*, in amicitiæ Romanæ indicium, Dianæ Aventinæ simulacrum & cultum habuerunt, imò verisimile esset, coloniam Romanam, quæ Aventicum incolebat, istius idololatriam ex Italia attulisse. Sed cùm plures fuerint Dianæ, ut scribit *Cicero lib. de nat. Deor.* nominatissimam illam, eodem partu, cum Apolline ex Jove & Latona natam, quæ sylvarum & nemorum Dea putabatur, fuisse credibile esset, quòd apud Helvetios,

&

& venatio & sylvæ frequentes essent. Sicut verò fabulosæ sunt de illa Dea narrationes; ita levem esse conjecturam suprà allatam credimus: Diana enim illa, de qua *Ovidius*, Aventina à monte Aventino, qui in Italia est, dicta fuit: quam autem coluerunt Helvetij, *Aventiam* (non Aventinam) ab urbe Aventico, nominatam testantur inscriptiones, quæ quidem à colonijs Romanis profectæ, ad illam tamen Romanorum Dianam Aventinam non respiciunt. Placet magis illa conjectura, quâ volunt nonnulli, Deam tutelarem fuisse: Etenim cùm is esset Ethnicorum mos, ut loca celebriora, Deos aut Deas tutelares haberent, cur non insignis illa urbs Aventicum Helvetiorum caput, ejusmodi Deam à se denominatam habere non potuisset? Afferenda hîc *Frey.* c. 4. sententia. *Est colonia cuidam in Gallia Belgica, in Helvetiorum limitibus, nomen Aventia, seu Aventicum, & hodie Avenza: Illic olim eodem nomine numen cultum. Quod nomen si à Gallico,* Avant, *derivetur, certè hoc numen, creatrix omnium rerum sapientia est, quæ ab initio & ante sæcula est. Si verò à Belgico, quod verius est, originem habet,* Avang, *principium adhuc usitata dialecto denotat, nempe vetustas Gallica principium universorum, Deum religiosè coluit. ô miram in paganis tenebris universum obtenebrantibus orbem in Gallia veritatis lucem!* Sed ô parùm felicem subtiliratem!

Augustorum Numina coluerunt etiam Helvetij, ut

tij, ut ex inscrip. apparet, quòd Romani Imperatores inter divos referrentur, sæpe etiam pari adulatione vivis imperaroribus divinos honores decrevere; *Hottinger.* p. 530. In vetustis quoque inscriptionibus frequens est *Geniorum* mentio, quos religiosè coluerunt, tanquam distributos urbibus à Divina mente custodes. Helvetios habuisse Sacerdotes, Augures, Pontifices, Flamines & Flaminicas, sacris operantes, testantur antiqua marmora, quæ cùm à Romanis colonijs profecta sint, ita etiam institutum more Romano, templis, aris, statuis, sacrificijs, festis diebus, votis & similibus ceremonijs, cultum ostendunt: Unde Druidas habuisse credibile non est.

Religioni antiquitus Helvetijs fuit defunctorum corpora, non minùs quàm apud priscos Germanos & Romanos, ignibus dare, quod testantur urnæ quibusdã locis repertæ.

De Helvetiorum Christianismo.

Atque hæc de Helvetiorum Ethnicismo; De eorundem Christianismo varia à varijs asseruntur, maximè à *Gullimanno* lib. 1. cap. 15. ubi docet, Beatum Anglum sacerdotem à Petro in Helvetiam ad prædicandum missum, imò Petrum ipsum Helvetios primùm convertisse, præcipuè in pago Aventicensi & Urbigeno, Beatumq; illũ apud Vindonissenses Episcopũ constituisse: Credat verò, qui volet ejusmodi μυθοποιῶν ἢ μυθολόγων commenta. *Theodoretus*

retus lib. 9. decur. græc. affect. inter Gentes ab Apostolis conversas Germanos & Britannos numerat. Is verò qui sub Dorothei Tyri Episcopi nomine synopsin de vitis Apostolorum commentus est, Apostolum nominat, qui Germaniam adierit: Thomam enim ait Germanis, Hircanis, Bactris, & Magis prædicasse; Sed hæc non multum probat *Conringius*.

Circiter annum Christi CLXXVII. Lucius quidam ad Christianismum conversus (hunc Britanniæ Regem fuisse, fingit *Sigismundus* religiosus in Chron. Augustano) in Rhætia & Tigurino pago, strenuum se Evangelij præconem gessit, ibiq; martyrio affectus est, referente *Guilliman.* & *Munst.* lib. 3. Scribit aliter *Aventinus* antiquitatis diligentissimus investigator in annal. Bojor. Lucium Cyrenensem Pauli commilitonem & cognatum, in Vindelicia, Rhætijs, provincijsq; Histro contermi-nis Christianæ pietatis sementem fecisse.

S. Mauritius, ex Mauritania Africæ regione oriundus, post Sebastianum, militiæ Dux Christianus, pietate ac militari virtute præstans, *Curio chronol. lib. 2.* Sub Diocletiano floruit, cum legione Thebea; ab hoc tempore Helvetiorum Christianismus certiùs peti potest.

S. Fridolinus, gente Hybernus ex stirpe regia in Helvetia diu versatus, Glaronensem regionem & viciniam partim convertit, in fi-

de con-

de confirmavit, sub Clodoveo primo Christiano Francorum Rege. Eodem quoque tempore S. Severinus apud Agaunenses & Antuates in magna virtutis fuisse fama perhibetur.

S. Columbanus cum suis discipulis, ob Brunechildis fraudes, se in Helvetiam recepisse fertur. *S. Gallus* Anglus cum Columbano in Galliam profectus, tandem ad Theodebertum, ad Brigantinum lacum in loco Tuconia dicto idola exusit, inde pulsus Arbonam venit, postmodum Columbano in Italiam proficiscente, in Suevia mansit; sed hunc Gunzonus Suevorum Princeps idololatra terrâ suâ excedere imperat; cùm verò Fridberga Gunzoni filia à Dæmone correpta fuisset, revocatus à Gunzone fuit S. Gallus, ut filiam sanaret, quo facto in Helvetiam se recepit, posteaque monasterium condidit, quod in urbem S. Galli excrevit: obijt ille febre ætatis suæ an. 95. Christi verò 640. in castro Burguirio sepultus. Adeò piè vixit, ut etiamnum vivens sancti cognomen meruerit, teste *Platina*, & referente *Zuing.* theat. lib. 12. Istius Galli laudes vide apud *Vadianum* in Mel. lib. 3. pag. 191. Sed omnes horum sanctorum historias infinitis conspurcatas fabulis commemorare tædet. Quidquid sit hoc certum. 1. Helvetios antemultos alios populos, à primis post Christum natum sæculis, ad Christianam religionem conversos, non quidem omnes, certum enim

enim est, non eodem tempore pulsas ex *Helvetia* paganismi tenebras, sicut illud ostendit *D. Hotting.* pag. 540. 2. Duos in *Helvetia* fuisse Episcopatus, Aventicensem & Vindonissensem, quorum ille Lausannam, hic Constantiam postea translati sint.

In istis porrò ultimis sæculis, cùm jam à longo tempore, universalis illa in Ecclesia ἀποστασία contigisset, quam futuram prædixerat Paulus 2. Thess. cap. 2. & jam dudum satis in templo Dei, tamquam Deus sedisset ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας; hujus Deo placuit, oris sui spiritu internecionem in *Helvetia* incipere, & quidem *Hulderici* Zuinglii ministerio, is enim vel ante Martinum Lutherum, vel saltem eodem tempore, Christianam religionem ad primævam suam puritatem & veritatem, discussis errorum tenebris revocare studuit, qua de re sic *Pareus* in dedic. tom. 3. *Etsi vulgò primæ Luthero deferri solent in Evangelij restitutione, quæ facta ab ipso anno superioris sæculi decimo septimo: tamen ex Zuinglij libris haud obscurè liquet, jam biennio antè Glaronæ in Helvetia Christum populo Christiano fuisse annuntiatum: cùm ne nomen quidem Lutheri illis oris à Zvvinglio tunc fuisset exauditum: imò decennio antè ait ipse, Græcanicis se literis eâ causâ operam dedisse, ut ex fontibus doctrinam Christi haurire posset.* Doctrinam autem Zvvinglij novam non fuisse, ut dictitant Papistæ, relictis

alijs

aliis Theologorum noſtrorum argumentis, fatetur *Guillimannus* ipſe Pontificius lib. 3. c. 5. pag. 353. *In Helvetia Uldaricus Zvvinglius, ſacerdotij ordinis nonnulla quoque nova tradere, cœpit, aut pleraque, quæ olim Arnoldus Brixianus Tigurì docuerat, longa oblivione, & tenebris damnata, poſt quadringenteſimum annum, in lucem memoriamque revocavit.* Quàm malè, inſulsè & Ethnico modo hodiernam Helvetiorum religionem deſcribat *Dan. Eremit.* oſtendunt ipſius verba. *Deorum cultus variat. Religione nonnulli meliores, cæteri ſuperſtitione utuntur: contemptu ſanctorum, obliterata divinorum memoria, & libertate quoque divini cultus inſoleſcunt: Deos quos colere, nonniſi pro libitu volunt, ne in templis quidem admittunt: exempla ſanctorum cùm imitari nequeant, ſupervacuum putant credere & memorari; ſcilicet eadem qua Princeps rebellione dejecerunt, Deos quoque oblivione traducturi. Manet tamen antiqua fide & moribus potior pars, reliquorum pervicaciæ exemplo relicta, ne error impetu cœptus, ignorantia & abſentia veritatis nutriatur.*

Inter Helvetios Reformatæ religionis cultores ſunt Tigurini, Bernates, Baſilienſes, Scaphuſiani, Sangallenſes, Neocomenſes & Biennenſes. Cum Papiſtis mixti Reformatorum multi, apud Rhætos, Glaronenſes, & Abbatiſcellanos; reliqui Romanæ religioni ſunt addicti, ita ut nunc quibuſdam locis papanos ritus, magis quàm Romani, aut ipſe

Papa

Papa obſervent; aliàs antiquis temporibus non ita ſuperſtitioſi fuerunt, frequentem imaginum cultum, ut alibi, non habuerunt, excommunicationesPontificias contempſerunt, aut ſaltem parvi fecerunt, indulgentiarum mercatum non approbarunt, Clerum refræenarunt, & in eum ſua ſupplicia ſtatuerunt, Papam officij monere non ſemel auſi ſunt, quarum & aliarum ejuſmodi rerum probationes per exempla vide *D. Hotting.* in meth. leg. hiſt. Helvet. pag. 542. &c. Digna ſunt Nicolai Undervvaldij verba, apud Wimphel. referente eodem *Hotting.* quæ huc apponantur: *Nolite confidere in ceremoniis quibuſdam, quas vobis ipſis, præter morem aliorum Chriſtianorum, impoſuiſtis. Nolite arbitrari, quod per ſacras literas Spiritus S. prohibet, id à vobis ſolis Deo acceptum eſſe. Geſtus & ceremoniæ quædam inter orandum manifeſtè & in propatulo fieri poſſunt. Quaſdam autem (inter quas eſt una brachiorum per modum crucis expanſio) non in publico; ſed ſecretiſſimè in intimis penetralibus faciendas ſapientiſſimi patres edocuerunt.* Notent hæc hujus temporis ſuperſtitioſi.

CAPUT XXII.

De Helvetiorum politica.

TAles fuerunt Helvetiorum in ſacris ſeu religione mores: In prophanis ſeu ex-

tra religionem publici eorundem mores considerantur in rebus tum *politicis*, tum *bellicis*. De politia nunc.

Quænam causa primùm homines civilem aliquam societatem inire, multisq; adeò legibus sese subjicere commoverit, variant sententiæ. Nonnulli à tyrannico imperio omnem civitatem initium sumpsisse autumant, quasi nimirum primi tyranni domitos à se populos in unum coëgerint. Alii contrà sponte credunt, homines nonnullos cojisse metu tamen quasi coactos, improborum hominum scelere ubivis grassante. Vult *Aristoteles*, hominem innato naturæ instinctu ad civilem ferri societatem, adeoque naturâ politicum esse animal; hominem etiam absente omni malorum metu, civilem nihilominus hanc appetere societatem. Cùm autem tanta sit humanæ naturæ pravitas, ut homines simul sine disidijs habitare non possint, juxta illud Poëtæ; *Fratrum quoque gratia rara est:* fieri non potest, quin permultæ in omni societate, civilique victu, oboriantur controversiæ, adeoque nulla possit existere Respubl. quæ non perpetuis flagraret factionibus ac motibus, nisi ejusmodi litigijs pacatè dirimendis, commodis occurreretur remedijs. Ejusmodi autem in omni paulò rectiùs constituta Repub. non tantùm supremæ majestatis terror, Magistratusque civilis potestas est, sed &

judicio-

judiciorum publicorum vigor, talium scilicet institutio virorum, qui & publica litigia arcere, & privatis civium controversiis dijudicandis vacare queant. Quamvis verò pauca ex veteribus de antiqua Helvetiorum Republica habeamus, liquidò tamen constat, eam pro temporis ratione rectè fuisse constitutam; ante enim Cæsaris tempora, in quatuor pagos, in quibus duodecim urbes & quadringenti vici distincta fuit Helvetiorum Respub: ubi notandum breviter. 1. Antiquitus Helvetios regiam admittere authoritatem noluisse, tanquam quæ ipsis non arrideret, & gentis genio non congrua esset: ut hujus rei fidem facit Orgetorigis suæ civitatis imperium obtinere cupientis, exemplum: Sic enim Cæsar lib. 1. *Ea res, ut est Helvetijs per indicium enuntiata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coëgerunt, damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni cremaretur, &c.* Hinc 2. liquet, cùm nulla societas absque judicijs vel brevissimo tempore consistere possit, Helvetijs sua non defuisse judicia, nec Magistratus, unde sic pergit Cæsar. *Die constituta causæ dictionis, Orgetorix ad judicium omnem suam familiam ad hominum millia decem undique coëgit: & omnes clientes, obæratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos ne causam diceret, se eripuit. Cùm civitas ob eam rem incitata, armis jus suum exequi conaretur, multitudi-*

nemque hominum ex agris Magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est, &c. 3. Probabile est, unum fuisse toti Helvetiæ commune aliquod judicium, utpote quæ unam tantùm Rempub. obrinuerit; locumque ad judicia & conventus publicos destinatum fuisse Aventicum, antequam cremaretur Julij Cæsaris tempore, postmodum verò aquas Helveticas, ut alibi videbimus. Ut autem aliquid sive de antiqua sive de nova Helvetiorum Politia dicamus: observandum priùs, qualis fuerit Helveticæ Reipublicæ status; deinde quæ forma. Statum hoc modo secundùm tempora distinguimus, ut alius fuerit Helveticæ Reip. status ante insignes illas populorum migrationes, alius verò post. Prior ille status suis distinctus est periodis duabus. *Prima* periodus ad Julij tempora extenditur, tum Helvetia merè libera fuit: in tanta enim animorum ferocia & fortitudine, quis dubitaverit incredibile quoque fuisse libertatis studium. Est quippe libertas quasi fortitudinis, omnisq; militaris rei & gloriæ mater nutrixque. *Secunda* porrigitur periodus ab anno, ante natum Christum, circiter septuagesimo, ad annum Christi circirer CCCC. Quo tempore per Alemannorum expeditiones attritum valde fuit Romanum imperium: hac periodo diversus fuit Reip. Helveticæ status, primò enim quamvis à Cæsare victi, tamen aliqua

ratione

ratione liberi fuerunt, ita ut reparatis Cæsaris jussu oppidis & pagis, & fœdere cum Romanis percusso, ad Vitellij usque tempora pacati manserint, à quibus & territorii & suæ famæ non parvam jacturam fecerunt, ut ex Tacito patet Interim de Helvetiorum cum Romanis fœdere sic loquitur *Vadianus* in Mel. *Illud non prætermiserim, Helvetios Romanis jam olim fœderatos fuisse, ea tantùm conditione adjecta, ne in cives reciperentur, ne quis hodiernum libertatis studium novum esse his gentibus, aut prorsus tale quid permitti eis non debeat, occlamet, meminit ejus fœderis pro Cornelio Balbo M. T. Cicero,* his verbis. *At quædam fœdera extant, ut Genuanorum, Insubrium, Helvetiorum, lapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum à nobis civis recipiatur.* Guillimannus credit, Helvetios ex hoc fœdere aliquid populo Romano debuisse, de cætero liberos perstitisse, suam Rempub. leges suas, suos magistratus retinuisse, exiguam Populi R. rationem habuisse, civitatis & petendorum honorum jus consecutos, Aventicosque à Galba civitate donatos fuisse, teste Plinio lib. 3. cap. 4. Addit quoque Guilliman. sub finem cap. VIII. lib. 1. de reb. Hel. *Quòd autem Helvetios ad amicitiam & societatem recipere, quàm servitute & tributis opprimere maluit Cæsar, quantum inde commodi, periculique crearetur, ea qua fuit prudentia consideravit. Ho-*

mines enim fortissimos, & libertatis, jurisque retinentissimos, eo statu, qui servis abjectisque deberetur acturos nequaquam existimavit, potiùs quos hostium loco habuerant, Germanos excituros, majoreque detrimento & copiis; facta nova conjuratione provincias Romanorum repetituros. Accedebat, quod veluti speculam populi R. & propugnaculum, quod de Martio Narbone colonia, dixit Cicero, infestis nationibus oppositum, qui scilicet Germanorum pericula à P. R. copiisque propulsarent, Helvetiorum amicitiam intelligebat: Quantum enim animis, virisque possent, suo periculo cognoverat Cæsar, cognoverant ante miserabili suorum internecione Romani. Egregia & plausibilia sunt hæc, quæ de Helvetiis sentit *Guillim.* an verò hæc ita se habuerint valdè dubito. Certum hoc, communes vicarios & tributorum exactores ex quadam Villariæ inscriptione, habuisse Helvetios, unde consequitur, eos fuisse aliqua ratione tributarios, non ergo ita liberos, ut affirmat Guillimannus.

Cùm autem constet, Romanos in Helvetia colonias habuisse, breviter disquirendum, quid fuerint coloniæ & quotuplices, cur institutæ; & qualis earum administrandarum ratio. *Gellius* lib. XVI. cap. 13. ait, colonias esse quasi parvas effigies & simulachra quædam populi Rom. Nam coloniæ sunt urbes minores ex civitate propagatæ, habentes jura atque instituta omnia populi Romani, cuius

cujus erant arbitrio, quæ conditio cùm magis sit obnoxia & minùs libera, quàm municipum, tamen potior ac præstabilior existimatur, propter amplitudinem majestatemque pop. Rom. sicut ait *Frevotius* de magist. Rom. pag. 47. Hæ coloniæ propter juris diversitatem, duplicis fuerunt generis; quædam enim *latinæ* dictæ sunt, quædam *Romanæ*. Coloniæ Romanæ sive civium Romanorum vocabantur, quæ jure Quiritũ donatæ erant, hoc est, quæ privatum civium *Rom anorum* habebant jus consistens in *jure privatæ libertatis, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominij*, ut, *hæreditatis, mancipij, nexus, usucapionis, &* reliquorum; item in *jure testamentorum & tutelarum:* Jura verò publica civitatis Rom. non habebant: quare qui eo adscripti *Coloni* erant, nomine quidem *cives Romani* erant, re verò *Coloni*. Merul. part. lib. 4. cap. 19. *Latinæ coloniæ* licèt ex Romanis constituerenrur, non tamen jure civium, sed sociorum, id est, latinorum utebantur. Nam jure Romano sic comparatum erat, ut si cives Romani, in latinam coloniam nomina dedissent, vel sua voluntate, vel metu mulctæ ipsi latini juris fierent: civitatemque amitterent, id Cicero testatur pro domo sua ad Pontifices & pro Cecinna. Quod si Latini in Romanam coloniam essent profecti, non tamen fiebant cives, sed latini juris erant, ut *Livius* scribit de Fe-

rentibus. *Prevot.* pag. 49. in eo autem consistebat latij sive latinitatis jus, ut suffragiorum potestatem, Magistratu permittente, haberent, & cives Romani fierent, modò in latina civitate, aut Latij jure donata Magistratum gessissent. *Merul. supra cit. loco.*

Institutarum porrò coloniarum variæ fuefuerunt causæ; *Guillim.* lib. 1. cap. 10. pag. 82. sex causas potissimùm fuisse affirmat his verbis. *Una ad populos, quos Romani vicissent, armis melius coërcendos: Altera hostium incursionibus, earum quasi objectu, reprimendis: tertia stirpis augendæ; & propagandæ causa: quarta plebis urbanæ exhauriendæ: quinta seditionibus, per partium divulsionem abolendis sexta & ultima, ut præmiis: milites, qui toties vitam pro Repub. in discrimine habuerant, afficeretur.* Vide & *Prevot.* pag. 48. Coloniarum administrandarum ratio, posita erat maximè in legibus & Magistratibus. Leges non unius erant generis: aliæ quidem quas coloni vel ab ipso populo Romano, vel à Rom. triumviris qui coloniam deduxerant, accipiebant, aliæ verò quas ipsum coloniæ concilium, id est, senatus populusq; sibi ferebat.

Magistratus erant vel sacri, vel prophani, quandoq; tamen una eadéq; persona utrumq; & sacrum & prophanum gerebat magistratum, ut ex inscriptionibus patet. *Sacri* erant vel Pontifices, Sacerdotes, Augures, Flamines

nes, de quibus superiori cap. vel IIIIII VIRI AVGVSTALES, qui sive ludis, sive festis præerant, ut opinatur *Guillim.* pag. 128. Hos in colonijs cooptatos testatur Ciceronis Agraria: an verò certus fuerit Sacerdotum numerus, an verò pro coloniæ magnitudine variarit, parum explorata apud Antiquos est memoria. *Profani* erant, tum Decuriones, tum Duumviri, Censores, Ædiles, Prætores, &c. Sicut ergo Romæ erat (ut ait Onuphrius) populus & senatus, sic hi novos colonos in Decuriones & plebem dividebant. Decuriones, senatus, plebs populi Rom. imaginem referebat: ita dicebatur notante Pomponio IC. Quòd decima pars eorum, qui deducerentur, publici consilii gratiâ, solita esset conscribi. Eorum numerus an in omnibus coloniis idem fuerit, certò sciri non potest. Hoc sanè ex *Plinio* Juniore patet in Decurionibus legendis non aliter, atque in Senatore Rom. observatum fuisse censum, qui centum erat millium. Ex Decurionibus singulis annis, *duo* plerumq; vel IV VIRI. creabantur juxta coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui IIVIRI, vel IV VIRI I. D. id est, juri dicundo vocabantur, & Consulum Rom. vel Prætorum speciem repræsentabant. Annuum erat eorum imperium, de his, maximè de Duumviris, in variis inscriptionibus, quæ extant, Genevæ, Neviduni, S. Mauritii, &c. ut suo

loco videbuntur. *Censores*, authore *Festo*, dicti sunt, quòd rem suam tanti quisque solitus sit æstimare, quantum illi censuerint. *Varro lib. de ling. Latin.* censorem ideò dictum putat quòd ad illius censionem, id est, arbitrium populi censeretur. *Livius 1. dec. lib. 1.* ab agendo populi censu, nomen hoc originem habere scribit. De censorum numero, potestate & authoritate, denique hujus Magistratus gerendi tempore, vide *Ciceron. 3. de leg.* Ædiles viarum, publicorum ædificiorum, annonæ & publicorum Reddituum locandorum, curam habebant. Præter hos fuerunt *tributorum Exactores*; Tributa enim pependisse, militemque dedisse colonias dubium nullum *Guillim.* pap. 84. Eosdem curatores & procuratores vocatos credit Guillim. quorum munus esset, reditus & rributa, aliaque quæ ad fiscum, colligere & erogare, causasque simul capitis cognoscere, pag. 102. & 103. Fuerunt & *coloniarum Patroni*, Romuli instituto, qui ut plebeis tutores patricios, ita coloniis, & sociis pop. Rom. quos quidem ex civibus vellent patronos, legendi potestatem fecit. Vide *Guillim.* pag. 85. *Triumviros* ærarii curam habuisse, & eiusdem præfectos egisse ex inscrip. R. ostendit idem *Guillim.* pag. 87. Jidem forsan fuerint, qui Quæstores. Ad militiam quod attinet, meminerunt insc. R. in Helvetia Præfectorum Fabrum, & Tribunorum militum.

Præfe-

Præfecti Fabrûm artificibus præerant, qui castra sequebantur: quales fabri lignarii, ferrarii, carpentarii: illorum cura fuit fabrilem operam procurare, ac præbere castris & urbibus expugnandis necessariam: *Prevot.* par. 108. *Tribunos militũ*, à tribuendo, quòd militibus jura redderent, dictos putat *Vegetius*. Duo Tribunorum militum genera fuisse scribit *Asconius*: Alii *Comitiati*, qui Romæ comitiis designabantur, de quibus hîc nobis non est sermo. Alii Rufuli dicti, à Rutilio Rufo, qui de eorum iure legem tulit: Postea literæ mutatione Rutuli vocati sunt, ut author est *Festus*. Hi in exercitu creari solebant, & curam habere militum, ut essent armis benè muniti, & militari disciplina eruditi. Eorum quoque officium erat in castris milites continere, ad exercitationem producere, vigilias circumire, rei frumentariæ præesse, commilitonum querelas audire, valetudinarios inspicere, denique castrensia omnia curare & observare; cuius generis Gallia suos Marescallos habet. Ut Joquitur *Prevot.* pag. 159. Sed hæc de coloniis dicta sufficiant, quantum quidem ad Romanarum inscriptionum in Helvetia intelligentiam attinet. Ad institutum redeamus. Post attritum ab Allemannis & ferè eversum à Vandalis & Gotthis imperium Romanum, quibus temporibus Helvetia miserè vastata est. Helveticæ, Reipub. status iterum tribus periodis

periodis distinctus est. Prima periodus complectitur Helvetiæ sub Francis statum, ab anno 499. ad ann. 919. juxta *Hottingeri* calculum: Sub his dura fuit servitus, ita ut in plerisque populis libertas extincta videretur. *Lucan.* lib. 7. hist.

Libertas ultra Tanaim Rhènum receßit,
Et toties nobis jugulo quæsita negatur,
Germanum Schyticumq; bonum.

Hac de re *Æmilius* florentissimus rerum Gallicarum scriptor. *Cadit Alemannorum res: Alemannia fracta, ingens tributum pendere jussa, leges etiam graves, Magistratusq; ab irato victore accepit.* Joachimus Vadianus epistola quadam, quam recitat Golstadus tom. 2. ant. Alem. ita loquitur. *Plena fuit servis & servitutibus Alemannia nostra, cujus magna pars hodie Helvetia est. Nec est, quòd sciam montanus pagus aliquis Helveticus, qui rebus Francorum florentibus, durißimam illam servitutem non servierit, extant enim tabulæ veteres, quæ hanc rem clarißimè testantur.* De beneficijs & potestate in Clerum à Francorum Regibus collata vide D. *Hotting.* in Iren. Helvet. pag. 183. *Secunda* periodus ostendit statum Helveriæ sub Imperat. Germanis, sub quibus quidem quædam fuerunt liberæ imperij urbes, attamen variorum Ducum, Comitum, Baronum, aliorumq; Nobilium maximo numero plus onerati quàm honorati Helverij: quòd etiam illi sempiterno fœderi occa-

occasionem dedit, ita ut in *tertia* periodo aurea iterum jam ante Christum natum consueta & usurpata redierit libertas. Ut enim liberis populis exosa est tyrannis, ita Helvetij à Nobilibus, alijsq; ejusmodi generis hominibus, præter modum vexati, pristinam bono cum Deo libertatem recuperarunt, atque sic restaurata est primæva Helveticæ Reip. forma, quæ jam à quatuor seculis in hoc usq; tempus feliciter continuatur. Soli Helvetij ut antiquam Celtarum dignitatem retinent, ita ferè eandem Reip. formam conservant hodie: Sicut loquitur *Guillim.* p. 46. De hodierna autem Reip. Helveticæ forma breviter agendum. Triplicem vulgò statuunt Reip. formam, vel enim est *Monarchica*, quando omnis Reipubl. potestas penes unum est; huic contraria est tyrannis. Vel quando authoritate polleht optimates, & vocatur *Aristocratia*, cui Oligarchia opponitur. Vel deniq; Reip. forma dicitur *Democratica*, cùm imperium obtinet populus: huic contrariatur Anarchia vel Ochlocratia. Varias olim fuisse Respub. non incelebres, ex historijs patet. Celeberrima fuit Athenienſium civitas ex varijs oppidis & populis à Theseo collecta. Achæorum Respublica duodecim constabat urbibus. Lycijs erant viginti tres urbes, quæ suffragia habentes in unum conveniebant: Similis & Caribus conventus ad Jovis chrysaorei fanum, insignis fuit.

fuit. Florentiſsimam ſemper fuiſſe Helvetiorum Rempub. teſtatur rerum præteritarum experientia. *Helvetica ſocietas*, inquit Conringius, *paucas quidem urbes comprehendit, at æternitate & robore planè ſine exẽplo eſt. Non enim ipſa illa antiquitati celebrata, vel Achaicum, vel Ætholicum, Græcarũ urbiũ fœdera. cum Helvetio. ſive potentia ſive tempore contendi merentur, omnia alia συμμαχίας fœdera ad breve tempus, & pleraq; intra paucas urbes ſtetere, &c.* Jam verò quæritur, *utrum hodiè tredecim Helvetiorum fœderati pagi, una & eadem dici poſſint Reſpublica?* Negant multi eruditi, quos vide apud *D. Hotting. meth. leg. hiſt. Hel. p. 450.* Non enim ut ait Bodinus, *diverſarum civitatum fœdera, commercia, leges, jura, religiones Rempub. conſtituunt eandem, ſed ejusdem imperij conjunctio.* Fatetur Simlerus, hoc quidem verum eſſe, ſi exactè ſingula perpendantur. Interim certo quodam modo quæſtio affirmari poteſt: Unum enim eſt totius gentis conſilium, de pace & bello decernens, pleræque provinciæ communi adminiſtrantur imperio, eaſdem ferè leges & conſuetudines habent omnes, perpetuiſq; pactis adeò arctè devincti ſunt, ut ſi non una ſit Reſpubl. quàm proximè ſaltem ad unius formam accedant, ut ait *Simler.* lib. 1. vel ut verbis CL. *D. Hottingeri* utar, ſi non *κατ' ἀκρίβειαν*, ſaltem *κατ' ἀλήθειαν*. Una ergo eſt, ſi non omnimodi imperij, ſaltem

tem

tem animorum conjunctione, una, inquam, est fœderis perpetuitate, & variarum rerum communione. *D. Hotting.* rationes vide fusè pag. 454. & seqq. Quæritur iterum, *utrum Helvetica Reipub. forma, Aristocratica, Democratica aut Monarchica sit?* Monarchicam non esse satis constat; ad Aristocraticam & Democraticam magis accedit. Dicimus autem, sufficientem non esse Reip. formarum enumerationem: Vel enim formæ illæ, merè Monarchicæ, ut in regnis Ottomannorum, Persarum, &c. Aut merè Aristocraticæ, aut merè Democraticæ, aut mixtæ, sive ex Monarchica, Aristocratica, ut in quibusdam regnis, ubi de rebus pace & bello necessarijs deliberant & concludunt optimates. Rex verò eas opportunè debet exequi. Sive etiam ex illis tribus mixta est Reip. forma, ut in amplissimis Romanorum, Carthaginensium & Venetorũ Rebusspublicis videre est, in quibus populus à gubernaculis prorsus non removebatur, nec supremi Magistratus dominium & authoritatem optimatum tollebat. Denique mixta dici potest Reip. forma ex Aristocratia & Democratia, qualis est Helvetiorum Resp. Hîc tamen adhibenda est distinctio. Vel enim tredecim Cantones (ut vulgò vocant) considerantur simul & quatenus unum ejusdem gentis constituunt corpus: Vel separatim, & quatenus unusquisque pagus peculiarem habet guber-

nationem

nationem. Priori modo Aristocratica est Helvetiorum Respublica magis quàm Democratica; Pagorum enim legatis ad publica consilia convenientibus tractandarum rerum confertur potestas. Posteriori modo ex pagis quidam statum habent purè Democraticum, ut Uranij, Suitenses, Undervvaldij, Glaronenses, Tugij & Abbatiscellani: Reliqui omnes ab optimatibus reguntur, quamvis adhuc Aristocraticè magis quidam; popularitèr magis alij, sed de his fusiùs apud *Simler.* lib. 2.

Itaque errore non caret illorum sententia; 1. Qui statum Democraticum improbant, & cum Platone cẽsent, miseras esse Respublicas, quæ judicum multitudine abundarent. Nos tamen consilium ex multis conflatum unius consilio præstare credimus: Nec enim fieri potest, ut unus tam accuratè Reip. causas vel negotia inspiciat atque expediat, neque difficultatibus ac periculis ita maturè obviàm eat, quàm plures eo consilij & cõsociatis curis: Propterea non imeritò Sapiens Rex Salomon dixit Prov. v. 14. *Ubi nõ sunt prudentia consilia, corruit populus, salus autem est in amplitudine consiliarij.* Non est ergo ob Democratiam contemnenda Helvetiorum Respublica, cujus amicitiam Imperatores, Reges, Principes, aliæq; Resp. quin & Concilia, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Abbates non modò ambiverunt, sed et obten-

obtentam, magni fecerũt sollicitèq; aluerunt; sicut exemplis ostendit *D. Hotting.* pag. 485. Quæ ut origine & progressu miraculosa est, ita nec vi hactenus nec dolis magno & incredibili Dei beneficio, supprimi potuerunt: Idem *Hotting.* pag. 461. 2. Qui Anarchiam inter Helvetios locum habere tradunt, illis maximè sunt injurij: Inter quos est Daniel Eremita. *Populariter omnes, omnium maximè Rhæti, agunt ad 24. jurisdictionum capita; Et singulis insiniti conventus, omnes absoluti: Sine rectore, sine capite, sibi unoque vivente: Ipsi regunt, ipsi reguntur: Ipsi legationes obeunt, ipsi audiunt: Ipsi imperant, etiamdum imperantur.* Habent certè Helvetij & illorum fœderati sua statuta, leges, consuetudines, magistratus, adeò ut, quamvis Democraticè vivant, tamen negotia publica rectè & δυνάστως tractentur. 3. Vana est & improba calumnia, quâ ab Helvetia Nobiles exulare credunt nonnulli, inter quos sunt Bodinus Gallus, & Machiavellus, qui super hac re sic loquitur. *Germaniæ civitates, & Helvetiæ pagi summa pace & tranquillitate vivunt, propterea quòd æqualitatem inter se tuentur nec patiuntur, ullos Nobiles viros in sua ditione agere. Ac si qui fortè rari inter eos supersunt, eos adeò implacabili odio prosequuntur, ut casu in eorum manus delapsos inclementer interimant: Quippe ab aliis (ut ferunt) nequitiæ ludo omnia corrumpi & perdi, &c.* Sed qui apud Helvetios vixerunt, istum scribam

falsi & vanitatis coarguere possunt. Multi enim sunt, qui non tantùm avitæ nobilitatis ac dignitatis jura obtinent, sed Reip. quoque munia funguntur: Tantùm abest, ut apertum nequitiæ ludum habeant, ut pro se quisque civitatis suæ pacem & tranquillitatem foveant, clientibusq; suis jus reddendum curent. Notandum ergo hic *primò*: Semper fuisse maximum in Helvetia nobilium numerum; sic Friderici 2. tempore observat *Guilliman.* pag. 291. *Nobilitas per illam tempestatem in Helvetia tanta, ut præter dictos comites, baroneſq; numerarentur stirpis comitum, & originis, ultra quinquaginta, barones centum sexaginta, nobiles & equestris ordinis ultra mille ducentos.* Superiori adhuc seculo in una Turgeæ præfectura supra viginti nobilium arces & juri sdictiones enumeravit *Simler.* in præf. Reip. imò etiam hodie vix pagus est ubi non existant nobiles, imò, in plerisque civitatibus peculiares societates & ampla privilegia obtinent. *Secundò* verum quidem est, multorum Nobilium familias extinctas, eorumque arces destructas, summumque aliquando erga illos fuisse Helvetiorum odium: Sciendum tamen est, sicut ait *Simler.* in præf. *non exiguam partem nobilitatis, ab Austriis principibus, Alberti filiis, necem paternam vindicantibus, casam & domo pulsam esse, arcibus ipsorum eversis;* atque sic Nobilitas ab ipsa nobilitate maximam passa est cladem.

Hotting.

Hotting. pag. 216. Quòd si qui Nobiles ab Helvetiis malè tractati sint, certè proprii infortunii fuerunt fabri; libertati enim Helveticæ insidiantes, Monarchiæ viam quærentes in Helvetiorum funeribus, eosque persequentes iniquè, temeritatis & injustitiæ suæ pœnas luerunt: Unde non mirum est, si majores nostri, vatiniano odio, ejusmodi nobiles prosequuti fuerint. Quòd si nobilium quorundam injustitia, & præfectorum improbitas, Helveticæ libertatis asserendæ, & vindicandæ occasionem dederit; sic patuit ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum; & ostendit Deus, liberas civitates sibi summoperè placere; quòd in iis magis quàm in alio Reip. genere commune bonum conservetur, jus suum unicuique æqualiter tribuatur, civium animi vehementiùs ad virtutem & laudem accendantur; religio colatur, sacra peragantur. *Guicciar.* lib. 10. hist. Quòdque dignitates virorum, non divitiarum sint, non contrà, sicut Aureliani temporibus factum fuisse testatur *Vopiscus.*

Non minimam autem admirationis præbet materiam, quâ ratione tot populi percusso fœdere in unam quasi civitatem ita brevi coalescere, & concordiam per aliquot secula constanter fovere potuerint. Verum quidem, sæpe civilia bella, ut alibi fit, exorta fuisse, & sæpissime non unum esse animorum con-

sensum, & judiciorum concentum, sicut ait *Manlius:*

- Hominum mentes inimica sorte feruntur.

Brevi tamen semper lites compositæ, dissidentes pacificati, luxata negotia in integrum restituta, & diremptæ amicitiæ colligatæ. Atque talis est Helveticæ Reip. status, qui in hoc usque tempus, ringentibus quamvis inferorum repagulis floruit: Utinam in æternum floreat, & illius hostes pudore suffundantur, atq; valeant qui

Perniciem in nostram percusso fœdere jurant.

Hîc verò breviter observandæ quædam causæ, quæ Helveticam concordiam turbare solent aut possunt, nec non illius cõservandæ remedia. Quidam discordiarum fomitem, in religionis divortio collocant, sed malè, certum enim, pacatiorem & tranquilliorem nusquam fuisse Helvetiam, quàm ab ipsa illa ætate, qua religionis divortium fuit introductum. *Hotting.* pag. 189. certum tamen est, etiam ex Reformata Religione, pacis turbandæ quærere prætextus Æolos quosdam ab Austris flantes; ii, ut juxta juramentum res sedis Romanæ & Domus Austriacæ, promoveant, specioso religionis prætextu uruntur, animos accendunt, & conciliis, dictis, factisque suis bellum excitare, concordiam turbare, amicitiasq; dirimere studeant: Audiamus *Thuanum*, de ejusmodi Rerumpub. cacodæmonibus loquentem

quentem lib. 79. ad an. 1583. *Apud Helvetios portenti illius Romani largitionibus ac vafritie turbulentisque Iesuitarum concionibus belli civilis incendia propemodum hoc biennio excitata sunt, ut Bernates emendatæ religionis cultores, Caroli Sabaudiæ Ducis, in eos ex composito irrupturi armis obruerentur.* Istorum natura optimè describi potest Virgilii verbis

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs versare domos: tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

Sed numquid odisset Deus, qui seminat discordias? *Proverb.* 6. numquid quoque odissent homines, ejusmodi discordiarum satores & fautores. *Homerus* Iliad. 9.

Flagitiosus is est, sceleratus, inutilis, excors,
Quisquis amat populis bella intestina movere,
Quæ mala tanta ferunt secum, causasq; malorum
Innumeras sine fine serunt civilibus armis.

Utinã Helvetia ejusmodi γεννήμασι ἐχιδνῶν careret, aut à lentis, sed periculosis venenis salutari vomitione liberaretur.

Concordiam non parùm inter Helvetios labefactat invidia, eaque duplex: prima est exterorum principium, maximè verò vicinorum, qui potentiam Helveticam torvis oculis respiciunt. *Hesiodus.*

Semper vicinus, vicino est æmulus, huncut
Cõdere cernit opes properantẽ gnaviter, &c.

Altera invidia est sociorum & fœderatorum inter se, inter pares potentia, opibus impares livor malevolentiam parit. Quod agnovit *Daniel Eremita. Bernatibus cum magnitudine finium invidia crevit odiosa.* Sed hæc & alia parvi debent esse momenti, nec talia, quæ Reip. Helveticæ florentem in hoc usque tempus, statum turbent. Itaque, ô Helverii, quorum hactenus fama toto orbe fuit celeberrima, partam semel libertatem, integramque vestram existimationem conservate, ne auri argentive eorum, quorum tyrannidis jugum excussistis, mancipia sitis, fallacibus promissis aures obturate, Machiavellicas sententias seu pestem fugite; neve φιλαργυρία Peruviana oculis vestris tenebras offundat. *Sophocles.*

Non omni ex re lucrum oportet cupere,
Plures enim turpibus ex lucris
Damno, affectos videas, quàm servatos.

Pristinam sinceritatem, constantiam, simplicitatem, prudentiam, fidelitatem, concordiam, æquitatem, aliasque veterum Helvetiorum virtutes ad praxin revocate: Sicut illis cuncta fuerunt prospera, ita illorum vestigiis insistentibus benè erit: *Nolite existimare, majores nostros armis Remp. magnam ex parva fecisse: si ita esset, multò pulcherrimam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium, præterea armorum & equorum major copia nobis quam illis.* Sed alia

sunt,

sunt quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: Domi industria: foris justum imperium: animus in consulendo liber: neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam & avaritiam: publicè egestatem, privatim opulentiam. Laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen, omnia virtutum præmia ambitio possidet. Augustinus lib. 5. de civit. Dei Catonem loquentem inducens. Hîc verò gradum sistimus. De Helvetiorum enim inter se, aut cum alijs principibus, fœderibus, de publicis ipsorum conventibus, & publicarum controversiarum judiciis, aliisque ad Politiam pertinentibus dicere nunc nihil attinet, cùm inter alios, ea exactè in sua Repub. lib. 2. *Simler.* descripserit.

CAPUT XXIII.

De bellica Helvetiorum virtute.

IAm ad rem militarem accedamus, quâ jam olim Helvetii floruerunt, & toto orbe conspicui fuerunt. Nobis autem de priscis Helvetiis ex veteribus Scriptoribus agendum.

Sicut pronum in arma Gallorum animum variis depingunt coloribus Historici, ita quoque ipsorum in bellis ferociam & audaciam describunt. Gallos animosos facit *Claudianus*; bellicosos & armipotentes alij tradunt:

unde *Cicero* de provinciis consularibus agens, dixit, Galliam Romanis esse timendam; & *Salustius*, Italiam omnem ab hac gente contremuisse, adeò ut cum Gallis non de gloria, sed de salute certari fuerit solitum. *Nulla gens*, inquit Sabellicus in præf. Enn. 4. *Italiæ formidolosior, nulla majores ipsi terræ intulit clades: certarunt Romani cum finitimis populis de principatu, cum Pyrrho de gloria, cum Carthaginensibus de imperio, cum Gallis de vita semper.* Sed quæ de Gallis circa rei bellicæ studium habent veteres, ea in eminentiore gradu Helvetiis tribuenda censemus. Nonne *Cicero*, in orat. de prov. cons. acerrimam Helvetiorum nationem facit? Nonne scripsit Cæsar, *Helvetios, reliquos Gallos virtute præcedere?* nonne eos vocat. *homines bellandi cupidos, qui pro multitudine hominum, & pro gloria belli, atque fortitudine, angustos se habere fines arbitrabantur?* Nonne *Tacitus* hist. lib. 1. Helvetios *Gallicam gentem, olim armis virisque, mox nominis memoria claram facit? Orosius* lib. 6. cap. 7. fortissimam omnium Gallorum gentem dixit. Helvetios, *cupidam bellandi gentem*, ut ait *Sabellicus* Enn. 6. lib. 5. semper fuisse ostendunt, variæ ipsorum cum Gallis in Italiam & Græciam expeditiones; audax occupandarum Galliarum, Cæsaris tempore consilium: & frequentes suæ ad bellum operæ locationes; unde *Gessatæ* Polybio nominati, uti vidimus suprà cap. XVII.

Porrò

Porrò quibus armis uti consueverint, eos communem Gallorum armaturam habuisse credibile est. Helvetiis non minùs quàm Gallis graves fuerunt gladii, imò prælongi & sine mucronibus, *Polybio* & *Livio* notantibus, ad hoc tantùm utiles, ut quemadmodum apud Strabonem videre est, desuper in hostem impingerentur, unde

-- Altè consurgit in ensem,

Apud *Virgilium* censore Servio: his impetentes hostium capita abscindebant. Gæsa & scuta cum reliquis Gallis habuerunt, de his *Virgilius* Æneid. 8.

-- Duo quisque alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.

Dicuntur *alpina* non solùm, quòd Alpini populi ijs uterentur, verùm etiam, quòd ex alpina materia facta essent. *Simler.* de Alpib. *Cæsar* lib. 3. bel. gal. Gesa vel Gæsa, ut scribendum putant quidam, *Veragris* Gallis tribuit. Quodnam verò fuerit armorum genus, variant Authores: tela fuisse ex *Varrone* habet *Nonius*, unde etiam *Cæsar*, citato loco ait, Gallos Gesa in vallum conjecisse. Hastas viriles ad *Virgilij* locum interpretatur *Servius*, qui viros fortes, *Gæsos*, à Gallis vocatos censet. Volunt quoque nonnulli, Gessatas ab hoc armorum genere, nomen accepisse, quòd Gessatis Helvetiis, magis quàm aliis Gallis proprium fuerit. *Vox in inferiore Germania*, inquit

Merula, *bellis renata civilibus, pervulgataque, & uniparti adversæ ab altera nuper indita.* Qualis autem in Helvetiis fuit præliorum virtus? Virium prorsus confidentia ingens, fuerunt enim homines aperti, minimèq; insidiosi, per virtutem, non per dolum dimicare consueti. Hinc Divico Helverius, ad Cæsarem, qui Tigurinos circumvenerat, locutus legitur. *Se ita à patribus majoribusque suis didicisse, ut magis virtute quàm dolo contenderent, aut insidiis niterentur.* Cæsar lib. 3. bel. gal. de Gallis loquitur sic: *ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minimè resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.* Livius quoque ait, *Gallorum prima prælia plusquam virorum, postrema minùs quàm fœminarum.* Sed Livium mendacii arguit Frey cap. 6. *Imprudenter Livius subjungit, postrema minùs quàm fœminarum, verius enim & fidelius, Leo de bellico apparatu. In magno, inquit, opprobrio parvam retrocessionem ponunt, atq; eam, fugam existimant Galli.* Quidquid sit, non fuit ille Helvetiorum animus, quid esset fuga, nesciverunt; Sic enim Cæsar lib. 1. *Hoc toto prælio, cùm ab hora septima ad vesperam pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit.* Notabile est, Helvetios fortissimam gentem, nunquam victos fuisse, nisi à Romanis rerum dominis, qui totum orbem sibi subjecerunt, sicut ait *Petronius*, satyr.

Orbem

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terra, qua ſydus currit utrumque.

Et Buchananus.

Roma armis terras, ratibuſque ſubegerat undas
Atque ijdem fines, orbu & urbis erant.

Vulgati olim fuerunt ſermones, Romam mundi caput, unde Martialis;

--Terrarum Dea, gentiumq, Roma.

Et Cicero ita ſcripſit. *Nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, ut vix extet, aut ita domita, ut quieſcat, aut ita pacata, ut victoriâ noſtrâ imperioq; lætetur* Quare mirum non eſt, Helvetios cùm reliquis populis eandem habuiſſe ſortem. Quales fuerint ipſorum præparationes & commeatus, cùm aliquod bellum ſuſciperent, docet ipſe Cæſar. *His rebus adducti & auctoritate Orgetorigis permoti, conſtituerunt ea, quæ ad proficiſcendum pertinerent, comparare: jumentorum & carrorum maximum numerum coemere, ſementes quàm maximas facere, ut in itinere copia frumenti ſuppeteret: cum proximis civitatibus pacem & amicitiam confirmare, &c.* Sic veteres Helvetii militaturi maximam rei frumentariæ rationem habuerunt, ut ea ipſis ſuppeteret, hoſtibus verò deficeret. Carris quoque ſua caſtra claudebant, teſte eodem *Cæſare.* Uxores & liberos ſecum in bellum ducebant, imò legimus, Tigurinorum & Ambronum (qui Helvetii erant) mulieres in bello Cimbrico, in ſuis caſtris Mario diu reſtitiſſe, donec à Romanis

manis superatæ, se suosque parvulos fœmineo furore, vi autem virili necavissent, ut loquitur *Orosius* lib. 5.

Galli & Germani olim cum hoste congressuri, dissono & truci cantu, quem barritum vocant, cum ululatu & tripudiis scuta quatientes prælia inibant. *Alex.* lib. 4. cap. 7. Hic militaris tumultus frequenter à *Livio* notatur, præcipuè dec. 3. lib. 1. *Galli occurrant in ripam, cum variis ululatibus, cantuque moris sui, quatientes scuta super capita, vibrantesque dextris tela.* Idem ferè fuit Helvetiorum mos, sic enim *Alex. ab Alex. jam citato loco. Ambrones incessu tardo arma pulsantes rythmis cum congressu & pulsu armorum consonantibus suum nomen exprimentes in hostes irruebant.* Plerosque Gallos super umbilicum nudos pugnare consuevisse, narrant & *Polybius & Livius*: Idem quoque feciisse Gessatas Helvetios ostendit *Polyb.* lib. 2. *Gessatæ ob magnitudinem animi & incredibilem gloriæ cupiditatem abjectis scutis, &c. nudi tantùm cum armis ante omnes stabant, rati per eum modum se se aptiores & magis expeditos ad bellum fore, siquidem densæ in ijs locis sentes implicarent vestes & armorum usum præpedirent*, & eodem libro sic ait. *Magna ac nuda corpora, & bellici quidam motus sub clypeis miraculo simul & formidini erant.* Sic Cæsar lib. 1. *multi ut diu jactato brachio, præoptarent scutum manu emittere & nudo corpore pugnare, &c.* Obsides accipere, non dare con-

consueuisse veteres Helvetios, refert idem *Cæsar*.

Cæterùm Helvetios innatum rei bellicæ studium & masculum animum non solùm antiquioribus, sed & posterioribus seculis habuisse certum est experientiâ, testimonijs & rationibus. Experientia in historiarum narratione cernitur. Testimonia ejus rei habemus multa, quædam hîc proferemus. *Volaterranus* geog. lib. 7. Helvetios, gentem animæ prodigam & bellacissimam: *Baptista Pius*, Truces: *Mantuanus*, genus armipotens: *Egnatius*, feram gentem armis, Helvetiam; *Osvaldus Pergenerus*, Martigenas & bellicosos: *Author Thes. Polit.* bellicosos & naturâ feroces: *Guicciard.* lib. 2. Nationem Helvetiorum omni tempore invictam & ferocem, faciunt. Ludovicus Palatinus Comes habito ad Fridericum Ducem sermone, Helvetios acre ac bellicosum hominum genus vocat. *Gerard. de Roo* hist. Aust. lib. 4. Ita bellicosos faciunt Helvetios omnes penè Scriptores. Sic *Quadus*: *Tanta horum virtus ac potentia, ut & Imperatores aliquot, dum eos subjugare niterentur, non solùm animæ, sed & opes & sumptus defecerint, quod inviolata eorum fœdera præstiterunt.* Sic quoque *Gillius* in annalib. Franc. *Homines bellicosi, & in armis exerciti, quorum proinde opem & auxilium exteræ sæpiùs nationes quærunt.* Non ergo solùm ob eorum fidelitatem & constantiam, à Regibus

ad

ad ſui corporis cuſtodiam quæruntur, ut jam ſuprà diximus, ſed etiam ob bellicam eorum fortitudinem, unde *Belleforeſtius* in Carol. IX. *fideles & fortes Regum Galliæ compatres*, appellat. Ita & Bodinus: *Ab Helvetiorum ſalute & tranquillitate, ſecuritas Francorum quodammodo pendere videtur.* Quinetiam Imperatores & Pontifices, non ſemel eos, quibus aquâ & igni interdictum erat, Helvetijs expugnandos & in ordinem redigendos tradiderunt, ut varijs exemplis oſtendit *Hotting.* pag. 473. Helvetiorum laudes militares canunt Poëtæ. Sic *Auguſt. Coccejan.*

Helvetij, gens una Jovi cariſſima ſummo
Et cara Martis pignora.
Invicti bello populi, certiſſima Regum
Bellantium ſpes ac metus.

Gaſpar Urſinus Velius, cùm de alijs nationibus, carmine ceciniſſet, ita de Helvetijs pro fine ſubjungit:

Intrepido excellens animo, & fulgente ſecuri,
Martius his colophon additur Helvetius.

Sic Bartaſsius Poëta Gallus de Helvetijs in pugna Yvriacenſi adverſus Henricum IV. loquitur, poſt fugam Ligæ. An. 1590.

--- Seul l'eſcadron d'Helvece
Ne voulant dementir ſon antique proueſſe,
Bransle le fraiſne aigu contre le camp vainqueur;
Et plus la route croit, plus il enfle ſon cœur.
Mais auſſi toſt l'eſclair de ta guerriere face,

Leur

Leur cœur diamantin transforme en fresle glace,
De fresle glace en eau, d'eau en tiede vapeur,
Et ceux à qui la mort, vient pluſtoſt que la peur,
Ceux dïe qui jamais, ne tournerent l'eſpaule
Qu'au Phœnix des guerriers, au dompteur de la Gaule,
Ces vieux fleaux des tyrans, ces correcteurs dex Roys,
Proſternent à tes pieds, & leurs & leur bois,
Lors toy pour ne fleſtrir d'infamie eternelle
Un peuple de tout temps au ſacré lis fidelle,
De ton cœur deſpité la fureur appaiſant,
Fais de leurs chers drappeaux à leurs Canons preſent.

Quemadmodum autem Europa populos naturâ bellicoſiores & ferociores Aſiaticis plerumq; habet; Ita in ipſa Europa, qui aſperas, montanas & frigidas incolunt regiones, alijs bellicoſiores eſſe perhibentur; ut apparet ex populorum, è Septentrionis aſperrimis regionibus egreſſorum vaſtationibus, quibus Romana potentia omnibus quondam terribilis, contrita fuit. *Simler.* lib. 2. In pleriſque regionibus, alij ſunt milites, alij agricolæ, alij opifices. Alibi ſpectatur ætas, & juvenes leguntur, qui juxta *Vegetium* de re milit. cap. 4. ita dicti ſunt, quòd in re militari juvare Remp. poſsint, quod ut fiat, parendo maturè imperare diſcant, diſcendi & exercitandi ſe ſpatiũ habeant, &c. Alijs ad bellum tantùm apti videntur, non omnis conditionis opifices, ſed tantùm fabri ferrarij, carpentarij, macellarij, venatores, ijq; non omnium animalium & fugacium

gacium lepuſculorum, verùm cervorum, aprorum, urſorum, &c. *Veget.* lib. 1. cap. 7. In Helvetiâ autem omnes quodammodo milites naſcuntur, neque quiſquam eſt corpore integro, & ætate, in quo non militaris quidam ſpiritus elucear *Simler.* lib. 2. *Adde longam eorum bellicis in rebus experientiam, cui rei aſſidui vacant quaſi ad id ſolùm fuerint nati, Naucler.* Sed militaribus hominibus de bellis & bellandi modo loquendi munus relinquimus. Itaque nihil de exercitijs & ludis ad virtutem militarem præparantibus, nihil de armorum generibus, nihil de militum delectu, nihil de commeatuum cura, nihil de partiundæ prædæ modo, nihil de diſciplina militari, alijſq; ejuſmodi dicemus, de quibus *Simler.* lib. 2. Et *Hotting.* paſsim in Irenic. Helv. & in meth. leg. hiſt. Helv. Antequam tamen hujus rei dicendæ finem faciamus; quædam annotabimus, quæ ex antiqua conſuetudine obſervant Helvetij, & inter priores & poſteriores aliquem inſtituemus parallelisſmum.

I. Ingenium & ſtudium militare, utrobique neceſsitate ſemper fuit auctum: Ante Julij Cæſaris tempora bellicoſi erant Helvetij, quòd Germanis quibuſcum continenter bellum gerebant eſſent proximi. Eadem fuit militiæ neceſsitas quæ noſtros majores, jamà tribus aut quatuor ſeculis bellicoſos effecit; cùm enim Helveticam libertatem vicini ferè omnes,

omnes, præsertim Austriaci, continuis bellis opprimere conarentur, contigit necessitate sic efflagitate, ut qui agriculturæ & rei pecuariæ præcipuè studerent, fortes ac generosi in hostium suorum perniciem, milites facti sint. *Simler.* lib. 2.

II. Utrorumque conatus altum, excelsum, & qui fidem penè superet, ostendunt animum. *Hotting.* p. 288. confer veterum Helvetiorum facinus & consilium, Julij Cæsaris tempore, cum heroicis recentiorum in Mediolanensi Ducatu factis.

III. Veteres Helvetij, Gallis annumerati fortitudinis palmam, omnibus præripuerunt, teste Cæsare. Posteriores inter Germanos relati eandem retinent laudem. *Sunt nostro avo militum Germaniæ, quorum opera potissimùm in bello Europæi utuntur Principes, tria genera. Primos Bojemos appellamus. Secundum genus collectitia manus est, ex omnibus Teutonum regionibus, ipsi patriâ linguâ sese Landsknechten, hoc est, patriæ ministros, nuncupant. Tertium genus à pago Suitones nominantur: Ipsi se Eidgnossen, Alemannicâ linguâ, quasi dicas fœderatos, dicunt. Liberi sunt, & immunes omnis imperij supra quàm ea loca, quæ olim Helvetij incoluerunt, non solùm tenent, sed etiã implent. Suitones, superbiæ nobilitatis adversi, modestia, concordia, victus parsimonia, disciplina præferuntur.* Aventin. Annal. Bojor. lib. 4. pag. 367. referente Hotting. pag. 288.

IV. Priores Helvetij nunquam victi, nisi à Romanis rerum Dominis, ut jam supra diximus; Posteriores verò nunquam intra suos fusi aut cæsi limites, quod ex *Stumpfio* observat *Hotting.* pag. 289. *Helvetios extra patriam vincere queas: Quod nequeant plus quam triginta aut quadraginta hominum millia producere. Domi invicti sunt, quòd isthìc centum millia armare queant.* Machiavel. lib. 2. cap. 12. non solùm propter hoc, sed quia pro aris & focis semper masculè dimicarunt.

V. Multa alia sunt, quæ recentiores Helvetij, ab antiquis habent; Graves enses & obtusa cuspide, quibus cæsim cæditur: Carris quoque uruntur, mulieres complures secum ducunt. Peditatu magis quàm equitatu valent, quia corpore robusti sunt & nimis, maxima ex parte, magna se mole movent. Unde utrobique fuit conferta acies; *Propria genti conglobatio & per acies cuneosq; pertinax conjunctio.* Dan. Erem. quæ facilè frangi nescia & ad rejiciendum equitatum idonea est. *Hac ætate prima illis peditatus gloria,* Alciat. in Tacit. *Pedites ferè præliantur; rarus aut nullus equitum usus; eoq; victores sæpius quàm victi. Nam in universum & cum judicio æstimandum, plus penes peditem roboris,* Dan. Erem. Refert *Diodorus* Gallos vocem gravem atque asperam, & tubas suo more barbaras & asperum sonum reddentes habuisse. Helvetij hostem aggressuri clamore etiam initium

tium faciebant: Sic teſtatur *Etterlin.* cùm Anglos agrum Bernenſem infeſtantes adorirentur. *Decretum,* inquit, *erat prælij initium facere clamore magno. Tſchachtlanus* addit, non exiguum hoſtibus clamore iſto fuiſſe incuſſum terrorem. Sic *Guicciard.* lib. 12. *Tantis clamoribus ad Gallorum caſtra contenderunt, ut ejus rei neſcij, magnam aliquam victoriam adepti videri poſſent.* Uranij in bellis, ſylveſtris Uri cornu operoſo argento circa labra ornatum inflant, Taurum Uranienſem vocant. *Simler.* lib. 2. *Jovius* lib. 15. *Guillim.* lib. 3. pag. 319. *Hotting.* pag. 406. Simile quoque cornu Undervvaldij ſecum ferunt: Lucernates quandoque æreis cornibus utuntur.

Apud Germanos qui ſcutum amiſiſſet in bello, à publico conſilio & ſacris arcebatur, in transfugas verò, velut majori crimine obnoxios, & patriæ ac civium proditores capitali pœna plerumq; ſævitum eſt, ut videre eſt ex *Alex.* lib. 2. cap. 13. & ex Fulgoſio. lib. 2. c. 1. *Hæ Helvetiorum ſunt ſeveriſſimæ leges, ut ſub oculis ſpectantis exercitus, qui præmetu turpia, atq; indignæ viro forti tentaverint, à proximis commilitonibus ſtatim obtruncetur. Jovius* lib. 10. qui etiam lib. 15. quandam cæremoniam tum uſitatam refert: *Pontinerium proceritate corporis, animique virtute inter Helvetios duces clariſſimũ adequitantem ordinibus, ac ſuos clara voce, adjectis in Germanos contumelijs, cohortantem, ſclopetorum ictibus equo dejece-*

re, & vasti obesiq; corporis adipe, atque aruinâ patentibus plagis defluente, cruentas lanceas spectantibus Helvetijs inunxerunt: Quæ apud barbaros, in acerbioribus exacta vindicta gravissima cæremonia perhibetur.

Qualis autem sit eorum militaris vestitus, ordo, & gravis incessus, vide *Jovij* lib. 2. graphicam Helvetiorum Romam sub Carolo VIII. Galliarum Rege introeuntium descriptionem. Tandem audiatur in Helvetiorum laudem Natalis Comes. *Omnium propè militum maximè gloria, observantia, virtute rei militaris, præstare putandi sunt Helvetij, quorum ordo tam facilè resarcitur, quàm facilè reliqui milites profligati dissipantur, ac toties aciem instaurant, quoties labefactata hostium virtute fuerit.* Et lib. 24 hist. *Ea est Gallorum natura, ut summus sit illorum ardor, formidabilesq; sint præcipuè initio bellorum: Sed hæc acies facilè retunditur, si virtutem & constantiam adversariorum inveniat. Helvetij contrà resurgunt, ut ita dixerim, vel profligati, cùm facilè aciem instaurent.*

Quamvis autem bellicosi naturâ Helvetij sint, temerè tamen bella non suscipiunt, alia enim priùs experiuntur remedia, quàm ad arma concurrant: Imò ipse *Guicciardinus* lib. 14. ait, ipsos præ omnibus alijs diuturnioris belli tædio & impatientia affici solere. Hactenus ergo extrema quoque tentare, & omnia experiri, quàm bello decernere maluerunt, sicut ostendit *Hotting.* pag. 273. Nec apud Helve-

tios

tios ullo est loco Machiavelli theorema, qui dicit; Bellum justum esse, quibus necessarium: & pia arma, quibus nulla nisi in armis spes est: norunt enim illi, eos qui æquas pacis leges fiducia virium recusant, aut mox pœnirere, aut in deteriore sua fortuna pacem facere sæpissimè cogi. Modici sæpè Duces potentissimos Principes & magnos exercitus parva manu fudere, probat hoc Caroli Burgundi adversus Helvetios bellum gerẽtis, & omnes pacis conditiones recusantis exemplum.

Antequam verò his finem imponamus, aliquid de mercenaria militia dicemus: primò quidem de ejus origine, deinde de effectis & consequentibus. De mercenariæ militiæ origine & principio sic *Erasmus*, in adag. Chil. prima, cent. VI. adag. XIV. In Care Periculum. *Suidas* scribit: *Cares primos mortalium mercede militasse, ut qui vitam suam venalem haberent. Hos igitur qui conduxerant, primos in acie collocare consueverant, ut primos hostium impetus suo exciperent periculo, aut ubi fortuna belli difficillima videretur, illic objiciebatur. Persæ suâ linguâ μισθοφόρους appellabant, qui rapto vivebant. Carum laudem his temporibus æmulare videntur Helvetij, gens bello nata, simplex alioquin, ac minimè malum hominum genus planèque dignum, ut equidem sentio, quod hac quoque nota vacaret, & in literis, & in cæteris honestis studiis egregiè valiturum, si relictis bellis huc animum appellerent.* Hel-

vetios antiquiſsimis temporibus hanc mercenariam militiam exercuiſſe, eoſque propterea *Geſſatas* nominatos, ſupra vidimus; quod tum mirum non fuit, cùm natio ferox & ad bella proclivis, ac ſub Ethniciſmi tenebris conſtituta exiſteret. Quòd verò illum morem hodie ſub Chriſtianæ religionis lucere-tineat, hoc improbant multi, nec ſine ratione, ut demonſtrare facile eſt ex detrimentoſis & pernitioſis quibuſdam hoc militiæ genus conſequentibus. Quod enim in hoc uſque tempus bonum ex illa mercenaria militia conſecuti ſunt Helvetii? Num honeſtum? Num jucundum? Num utile? Nihil horum certè, nili forſan apparenter. Nimiam illam bellandi conſuetudinem & licentiam minimè eſſe honeſtam apparet 1. Ex duris illis, & veteribus inauditis exprobrationibus, quibus apud exteros propterea notantur Helvetii, qui *Penſionarij* Beſoldo per contemptum vocantur; àliis Natio bruta & mercenaria. Galli quoties fœdus Helveticum, ipſis pro voris non ſucceſsit, in Helveticam gentem varia debacchati ſunt. *Genebard.* lib. 4. chron. ad an. 1531. *Helvetij aſperi, montanique homines, ſoliti aliis diſſidentibus mercenaria auxilia ſubmittere.* Wimphelingus potiſsimùm Helvetiis mercenariam militiam objicit, non minùs quàm in captivos ſævitiam, nimium in inferendis

rendis ob leviſsimas cauſas bellis ardorem, & armorum potiùs ferociæque quàm honeſtorum exercitiorum ſtudium. vide ex *Hotting.* pag. 620. Parum ergo honeſtum eſt illud, ex quo famæ & exiſtimationis detrimentum accidit: quod ex variis authoribus oſtendit *Hotting.* pag. 617. 2. Scilicet honeſtum eſt libertatem ſuam auro vendere, ſe propter pecunias mancipia & quaſi carnifices Principum præſtare, quòd ſi quod non eſt juſtum, idem honeſtum non ſit; Neque juſtum, neq; honeſtum fuerit ſanguinem pro argento commutare. Unde Dan. Erem. *Cum vicinis Regibus fœdera inierunt, ſervituti magis quàm ſecuritati; arma ſua vitasque levi pretio addicunt: idque apud illos Reipub. munimentum dicitur, cùm ſervitus ſit: libertatem quippe exteri cujusque opibus gratificantur: turpe verò, quod armis peperis auro vendere.* Scilicet honeſtum eſt immoderata pecuniarum profuſione in varias & contrarias partes flecti, animoſque conſtantes expugnari? ſcilicet jucundum eſt humanum, ſed chriſtianum ſanguinem ſine neceſsitate, ſine coactione, tanquam in laniena effundere? qui amat periculum, in eo peribit, Eccleſiaſtici 3. v. 26. Sed quæ ex hac mercenaria miliria utilitas? Nulla certe; niſi quòd illis bellis optimorũ quorumcunq; jactura fiat; Agricultura tantopere neceſſaria omittatur (vide

quærelam subditorum Bernensium apud *Stetlerum*, an. 1521.) Domum reversi milites ægrè ad labores redeant, *Dan. Erem.* Tumultus in patria excitentur; Dissidia inter fœderatos oriantur, &c. vide fusiùs *Hotting.* pag. 614. & seqq. De his quoque *Dan. Erem. Hinc illæ tot tantæque dissensiones, simultates, partium studia; his pro Hispaniarum, illis pro Galliæ Rege nitentibus; alios Sabaudiæ regulo; alios Venetorum Reipub. alios Cisalpinæ Galliæ proregi conventionibus adstrictos, quid mirum sit, cùm hanc aut illam in parte pretio flectantur. Nulli tamen avidiores ad pauxillum hoc commodi, Rhætis sunt, paupertate & ambitione diversis inter se malis stimulantibus, in totum venales: & tamen se liberos vocant; cùm in illis pretium sit auctoramentum servitutis. Illa demum vera libertas est, quæ sub patrocinio ductuque Principis, à vicinorum incursu tuta liberè suis perfruitur bonis. Non est liber ille, qui arma vitamque non propriæ virtuti, sed aliorum commodis emancipavit. Principum quibus fœderibus adstricti apud se legatos patiuntur, specie amicitiæ, etiam imperio utentes, pecuniæ vi, ambitu, corruptionibus trahunt, turbantque res, ut pro arbitrio fiant.* Non defuerunt tamen viri clari sive Ecclesiastici, sive Politici, qui hanc militiam & fœdera illa mercenaria improbarint, ut ostendit *D. Hotting.* & *Simler.* lib. 1. de Rep. Hel. pag. 84. *Huldricus Zuinglius, qui sacris concionibus præerat, quotidiè gravissimis*

pissimis concionibus populum à militia mercenaria dehortabatur, docens neque jus, neque fas esse homini Christiano, ut se mercede conduci patiatur ad fundendum sanguinem miserorum, & plerumque innocentum hominum, à quibus nullâ unquam injuriâ ipse affectus sit. Majorum qui manu libertatem Helveticam asseruerint, mores imitandos dicebat, qui ab hujusmodi vitæ genere alienissimi, domi suæ sibi labore victum parantes, nulli principi se addixerint, neque suam libertatem venalem habuerint. Hujusmodi verò fœderibus libertatem Helveticam imminui, & alienis regibus atque principibus prostitui, multis illerationibus & argumentis. uti erat summâ facundiâ præditus, ostendere conabatur & paulò post. *Quod verò commoda fœderis attinet, quæ vulgò jactabantur,* fœdus Gallicum intelligit, *plerique ita sentiebant, multa & ampla emolumenta ad paucos privatos homines reditura esse, qui pensionibus Gallicis ditandi sint: toti autem Reip. parùm consuli: primùm enim cataphractorum, quos Rex auxilio promittat, & omnis externi militis nullum esse usum in nostris regionibus, quæ agrè domesticas copias possint alere. Deinde spe auxiliorum & pecuniæ Gallicæ enervari veram fortitudinem militum nostrorum, cùm majorum exemplo spes & fiducia in Deum reponenda sit, & is colendus vera pietate, & justitiæ studio. Non tantùm verò spes in Deum labefactari videbatur, sed metuebatur vitæ, morumque veterum ingens mutatio & dissolutio, ne-*

glectus agriculturæ & honestarum artium, & otij fructus, luxus, ebrietas, scortationes, adulteria, blasphemiæ: hi enim sunt militiæ fructus, & artes, quæ plerumque in exterorum principum castris addiscuntur. Hæc Simlerus de militiæ mercenariæ fructibus, quibus addimus *Lucani* lib. 10. bel. civil. versus, quàm sæpè veros.

Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur
Venalesq; manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Rationes, quibus hanc mercenariam militiam excusant nonnulli, quasque refert idem *Simler.* parvi sunt momenti.

1. *Sancti homines bella gesserunt, & in his aliorum auxilio usi sunt.* R. Dispar est ratio, tum respectu necessitatis, tum resp. modi militandi, &c. 2. *Helvetiorum militia non est mercenaria & venalis, quia uni tantùm Regi militant.* R. Imò venalis est, quia sine pecuniarum vi non fit, juxta proverbium Gallicum, *point d'argent, point de Suisse.* Nec fœderibus cum uno rege contenti sunt, ut ex *Dan. Eremi.* audivimus, & experientia comprobat, &c. 3. *In injusto bello Magistratus Helveticus militem potest denegare.* R. Non potest honestè denegari alicui, quod quis promiserit, aut propter quod pecunias jam acceperit. Principes semper, ut credunt & asserunt, justas habent bellandi causas, &c. 4. *In incerta & dubia causa militis*

non

non est ea de re curiosiùs inquirere. R. Sed debet inquirere, qui dat militem; patitur interim justus, & quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi; ignorantia causæ non semper excusat, &c. 5. *Regio sterilis magna ex parte, & maximè populosa.* R. Non tam sterilis est, quin posset suum populum alere, modò parsimoniæ sit locus, & contenri fuerimus ijs quæ habemus. Potuerunt sine exterorum stipendiis vivere Majores nostri, cur nos sine ijs non possemus? 6. *Externorum præsidiorum usus spem in Deum non tollit, & adversus vicinos Helvetiæ libertati invidentes utilis esse potest.* R. Verum, causam primam non tollere secundas, accidit tamen sæpissimè, ut homines magis ad has quàm ad illam respiciant: & firmior est in Deum fiducia, cùm humana subsidia deficiunt. Invidia hactenus, Deo sic benè volente, invidentibus parùm profuit, nec Helvetiis media ad sui conservationem deerunt, modò concordiam colant, & fiduciam suam in Deum collocent. 7. *Helvetij artem militarem Rebus publicis necessariam addiscunt.* R. Helvetios naturâ bellicosos suprà vidimus, possunt illi arti in patria sua etiam operam dare; & illam satis norunt, quantum ipsis pro sua defensione conducit, ut apparet majorum nostrorum exemplo, quamvis etiam publicè milites juxta illa mercenaria fœdera, non conscriberentur,

tur, tamen semper multi fuerint bellorum frequentatores, &c. 8. *Et si nonnulla fœdera damnosa fuerint, pleraque tamen fortunata fuerunt.* R. Fœderum illorum maxima pars Helvetiis noxia fuit. Quæ fœdera aliqua ratione fortunata visa sunt, non caruerunt incommodis illis variis suprà memoratis quæ præponderant. Fœderibus etiam illis odium & invidia conciliata, &c. Alia quamplurima super hac materia in medium proferri possent, sed hîc metam figimus.

SPECIALIS AC BREVIS LOCORVM AC POPVLORVM HELvetiæ, Regionumque Finitimarum

DESCRIPTIO

EX ANTIQUIS MONUMENTIS
& Authoribus.

REVERENDIS,

Doctißimis ac Spectatißimis

VIRIS:

DN. JOH. JACOBO HULDRICO, Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti Præstantissimo, Celeberrimo ac Vigilantissimo.

DN. CHRISTOPHORO LUTHARDO, In inclyto Gymnasio Bern. SS. Theol. Professori Eruditissimo, Dignissimoque:

NEC NON

Nobilißimis, Magnificentißimis, Ampliß-imisque Dominis:

N. DN. SIGISMUNDO Aᵀ ERLACH, Summo Exercituum Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Prætori Generosiss. Fortissimo, Senatorique meritissimo.

DN. JACOBO BUCHERO, inclytæ Reipub. Bernen. Senatori integerrimo, & Toparchiæ Sanensis expræfecto præstantissimo.

DN. CHRISTIANO A WILLADING, Sanensis vallis Toparchæ Prudentiss. Æquissimoque.

DN. EMMANUELI HERMANNO, Illust. Reip. Bern. Commissario Generali Peritissimo, Experientissimoque.

DN. DN. Mecœnatibus, Patronis, & Fautoribus suis colendissimis

Hunc brevem de Antiquis Helvetiæ locis Tractatum D. D. C.

Joh. Bapt. Plantinus.

D e

Speciali Antiquiorum Helvetiæ locorum Descriptione.

Proemium.

Peragratâ generaliter Helvetiâ, & descriptis, ut potuimus, Helvetiorum moribus, specialem antiquiorum Helvetiæ locorum descriptionem aggredi nobis est animus. Cùm autem varia celebrem reddant hanc regionem, ut hactenus vidimus, non ultimas inter illius celebritatis causas, tenent multa antiquitatis monumenta, quibus nostra decoratur Helvetia; horum illustria variis locis conspiciuntur vestigia, sicut ex hoc brevi apparebit tractatu, in quo locorum antiquitates considerabimus, quales ante insignes illas populorum sub Arcadio & Honorio migrationes fuisse, qualesque ex diversis vastationibus supersesse potuerunt. Nos ab urbe Geneva initium facienus; quamvis enim illa, extremum *fuerit* Allobrogum oppidum, *ut ait* Cæsar, *tamen quia Helvetiorum finibus, teste eodem, fuit proximum, Helvetiisque hodie, quibuscum pacem & amicitiam colit, fœderatum est, illius mentionem summus facturi.*

De Urbe GENEVA.

Vetustissimum hoc oppidum, Genevam Cæsar vocat: hanc veram fuisse & esse vocis enuntiationem, ostendit etiam hæc inscriptio,

ptio, Genevæ extans, propè domum Monetæ, ut vulgò vocant, quam *Gruterus*, & post eum Civ. Genev. pag. 328.

C. VALERIO. T. F. A. N.
TR. MIL. LEG. II.
PATRONO OPTUMO.
GENEVENSIS PROVINCIA:
B. M. P:
VIXIT. ANN. LX. M. II.
DIES XVII.

Id est, Cajo Valerio, Titi Filio, Annii Nepote, Tribuno Militum, Legionis secundæ, Patrono Optimo, Genevensis Provincia, Benè Merito Posuit, &c.

Cenava dicitur *Antonino* in regio exemplari, in itinere quod ducitur Mediolano per alpes grajas, Argentoratum, juxta hodiernam ferè pronuntiationẽ Sabaudorum qui *Zenavá*, vel *Cenava*, accentu in prima enuntiant. In multis Antonini codicibus hoc oppidum non habetur, ut ait *Merula*. In quibusdam legit *Cluverius* lib. 2. cap. 4. *Bautas* pro Geneva, sed vitiosè; *Simlerus* lib. 1. de Vall. Bautas opinatur esse *Bonam* in Sabaudia. Malè quoque Genuam Cæsari appellatam dixerunt *Sabellicus* Enn. 6. lib. 5. & *Volaterranus* lib. 3. ubi ita loquitur. *Gebenna urbs Genua Cæsari appellatá apud Lacum Lemanum, ubi Cathaldum ejus urbis præsulem ac professorem adorant.* Genua enim urbs Ligurum est, ad mare Ligusticum sita, nobile

nobile emporium, Italis vulgò *Genova*, Gallis *Genes*, Germ. *Genavv*. Geneva verò Gallis *Geneve*, Germ. *Genff*, sita est ad lacum Lemannum. In veteribus Actis, maximè verò apud Poetas dicitur Gebenna, (apud veteres etiam legitur Gevenna, observante *D. Gaudardo*) vel Gebennæ, sic vulgò creditur *Lucanum*, lib. 1. de hac urbe locutum.

- Quâ montibus ardua summis
Gens habitat, canâ pendentes rupe Gebennas.

Sed refragatur *Philibertus Monetus* in paral. Gall. his verbis. *Gebenna & Gebennensis, pro Geneva & Genevensis, adulterina sunt, & pravo inducta usu, ab ignaris interpretibus Lucani Poetæ, ad locum proximè citatum, ubi ex mente Authoris, nulla est Genevæ mentio, sed Gebennarum, seu Cemmeni pervulgati montis, apud Volcas Aremoricos. Hujus ineptæ interpretationis, ab imperitia Lucani Scholiastæ traditæ, & à Ludimagistris æquè ignaris in schola jactatæ, Authores suis scriptis accesserunt, antè annos trecentos, Gunterus in Ligurino, Frisingensis in Chronico, ac antè istos fortè alij, quam inde acceptam, Sulpicius Veronensis, & Ascensius Badius, superiore seculo, tantò amplius evulgârunt & confirmarunt, suis in Lucanum notis, in quibus asserunt, Gebennam, esse montem Arvernis, & Helvetijs interjectum, in quo monte sit Gebenna urbs, monti cognominis. Gregorius Turonensis, ante annos mille Genevam vocat Janobam: Author appendicis ad Gregorij historiam, Genavam appellat: alij scri-*

ptores Gallici, deindè eum secuti Jenobán, & Jenovam, nominant, nemo quem legerim supra trecentesimum annum, Gebennam nuncupat, & quicunque nuncupant, eo quem indicavi, errore laborant.

Miræ antiquitatis oppidum esse ostendit *Cæsar*, dum lib. 1. istius & pontis super Rhodanum siti, ac ab ipso rescisi, meminit. Mirari verò satis non possum, quòd nulla tam præclaræ, tamque antiquæ urbis, apud Strabonem, Plinium, Ptolomæum, aliosque veteres, memoria reperiatur. De istius oppidi antiquitate & origine non idem omnes sentiunt. Narrant nonnulli, quendam Genabum Numantinum, vastata à Scipione Numantia, ad eam perveniisse regionem, ubi nunc est Geneva, ibique urbem, quam Genabam vocaverit, condidisse; cujus conjecturæ authorem faciunt, quendam Frontonium, Poëtam, qui tamen aliter eam nominat: illius fragmentum hoc recitatur.

Est locus Allobrogum, prisci dixêre Gebennæ,
Quem lacus illustrat, crystallo clarior omni.

Sed isti, ut opinor, Genevam confundunt, cum Genabo, de quo Cæsar lib. 8. & Marlianus *Genabum, inter Celtas Carnutum oppidum, quod pons Ligeris fluminis continebat, proximum Vellaunoduno, & Agendico oppidis Senonum, ac Avarico & Novioduno oppidis Biturigum, in regno Francorum situm.* Hodie vulgò putatur esse Aurelia, Orleans. *D. Gand.*

Miram

Miram istius urbis vetustatem habet *Munsterus* lib. 2. apud quem vide. Mercator ædificatam vult anno mundi 2994. ab Alemannorum patre, Lemano; Paridis filio, Priami nepote.

Eadem ferè habent Vaudi chronica, aliiq; historici, quorum historia breviter sic se habet. Lemanus magni illius Galliarum Regis Herculis nepos, cùm Arpentinam urbem florentissimam cruento bello deleviſſet, ejus facti pœnitentiâ ductus, locum novæ urbi ædificandæ opportunũ quærens ad collem propè lacum juniperis plenum pervenit, ubi A. M. 3994. urbẽ ædificavit quam *Geneuram* aut Genebram, à juniperis, gallicè *Geneures* nominavit. Itali adhuc hodie hanc urbem Geneuram vocant, & illius incolas Genebrinos, sed id per contemptum esse, obſervavit *D. Gaudard.* Verùm non ita certa hæc omnia, nec ad has conjecturas recurrere opus est, ut illius probetur antiquitas, cujus alia multa fidem faciunt. Primò enim authenticum est Cæsaris testimonium. Deinde variæ inscriptiones Romanæ, quæ Genevæ adhuc visuntur, illius antiquitatem arguunt. Illas huc referre luber.

IMP. CAES. M.
AVRELIO
ANTONINO
PIO FELIC. AVG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XVI.
COS. III.
CIVITAS
EQVESTRIVM.

Hæc inscriptio hodie basilicæ civilis conventus muro indita est. Hinc colligere licet, 1. hîc Romanam fuisse coloniam, sicut etiam hoc ex aliis inscriptionibus patet; imò volunt nonnulli, hanc urbem vocatam fuisse civitatem Equestrium, aut Equestrem, quamvis hoc alij Neviduno tribuant, ut postea videbimus. 2. Equestrem illam coloniam hanc M. Avrelio Antonino, tanquam Genevæ reparatori inscriptionem posuisse: cùm enim Geneva igne maxima ex parte, miserè consumpta fuisset (quod incendium ad Heliogabali tempora referunt quidam, at malè) ferunt hunc Imperatorem Aurelium Genevam restauraſſe, cui *Aureliæ* nomen dederit, illo vero mortuo, antiquum retinuisse nomen: Falluntur ergo, qui hanc reparationem Aureliano tribuunt. Quis autem hujus equestris coloniæ fuerit conditor, conijcit *Guillimannus* ex hoc epigrammate, quod Genevæ ad portam Rivæ extat.

C. PLI-

C. PLINIO M. F. O
FAVSTO
ÆDILI IIVIRO COL.
IVL. EQ. FLAMINI
C. PLINIVS FAV.
VIVOS I.
O.

Insignem fuisse hanc coloniam equestrem dubium non est, tum quòd inter Allobroges, & Helvetios collocata opportunè ad eos in officio continendos; tum quòd illa suos habuerit Tribunos, Ædiles, Præfectos Fabrûm, &c. ut ex variis apparet inscriptionibus quarum adhuc hodie quædam extant. In muro urbis non longè à porta antiqua monetæ visitur sequens inscriptio quam sic refert. CIV. Gen. pag. 27.

T. IVL. T. FIL. CORN. VALERIANO
PATRONO COLON. IIVIR. ÆR. IIIVIR.
LOCOR. PERSEQUENDOR. TRIB. MIL.
LEG. VI. VICTR. PRÆF. FABR. FLAM. AUG.
PONTIFICI
JULIA. T. F. VERA. PATRI OPTIMO.

Propè horologium plateæ dictæ Molard, cernitur hæc inscriptio. Civ. Gen. p. 26. Guillim. p. 87.

D. VALERIO ASIATICI LIBERT.
SISSI IIIIII. VIRO. COL. EQ.

Ibidem loci extat monumentum, juveni Advocato, à patre positum, quod *Guilliman.* in-

ter Genevam & Versutium fuisse refert. Guillim. p. 439. *Hotting.* p. 536. *civ. Gen.* p. 26.

D. M.
L. AUR. RESPECTO JUVEN.
ERUDITO CAUSIDICO
BIS CIVI VALINSAE.
ET EQUESTRE DEFUN-
CTO. ANNORUM XVIII.
FILIO PIENTISSIMO
L. AUREL. RESPECTUS
PATER PONENDUM
CURAVIT.

Alio in loco, in urbis muris, aliud est monumentum, cujus in suis inscriptionibus meminit Gruterus p. 898. & Civ. Gen. p. 370.

VIXI. UT. VIVIS.
MORIERIS. UT. SUM. MORTUUS.
SIC. VITA. TRUDITUR.
VALE. VIATOR.
ET. ABI. IN REM. TUAM.

Extra mœnia ad portæ Rivæ sinistram est & hoc, Civ. Gen. p. 27.

ANNOR. XII.
I. PLINIO
FAUSTI FIL.
SABINO.

Inter ædificia, quæ Genevæ antiqua esse creduntur, sunt, 1. Specula in insulæ extremitate, quà orientem respicit; hanc à Cæsare constructam volunt; hodie adhuc nominatur, *la Tour de l'isle, & de Cæsar.* Vaudi tamen chronica, & *Guilielm. Guerould* lib. 1. cosm. hujus turris

turris conditorem faciunt quendam Regem Obluis, longè ante Cæsaris tempora. 2. Templum D. Petro, olim Apollini consecratum: Unde vetustatem sapere constat, maximè ex hoc epitaphio, quod in eo templo extat. Civ. Gen. p. 329.

C. JULIUS CÆSAR LONGINUS
D. CIL.
C. JULI LEIBERTUS
PERRUPTIS. MONTIB. HUC TANDEM
VENI. UT. HIC. LOCUS. MEOS CONTE
GERET. CINERES.
APOLLO. TUAM. FIDEM.
VIXIT. ANOS. XLI. MESS. III.
DIES XIII.
HOR. NUL.
T. FULVIUS. D. L. L.
COMMILITO. COMMILITON.
VALE. LONGINE. AITERNU
S. T. T. L. (sit tibi terra levis)

Apollinem Gentevæ cultum ostendunt duæ sequentes inscriptiones. Prima est in collegio, ad quartæ Classis januam. Civ. Gen. pag. 32.

APOLLINI
MUERATIUS.
MERCATOR.

Altera est in privatis quibusdam civitatis ædibus. Civ. Gen. p. 32.

APOLLINI
MAUFUSTIUS
CATUSO.

Fuerunt quoque in hac urbe Augures, ut ex hac inscriptione patet, quæ extat ad pedes graduum, domus atrij rerum nundinalium, in platea dicta *Molard*. Civ. Gen. p. 27.

D. JUL. D. F. VOLT. CAPITOI
AUGURI IIVIRO ÆRAR.
FLAMINI. MARTIS TR.
MIL.

Referunt antiqua quædam Sabaudiæ chronica Msc. Paradocum, ex LXX. Christi discipulorum unum, & Dionysium Ecclesiæ Genevensis fuisse fundatores, atq; hunc Parisios iviſſe, illum verò Genevæ mansisse; Quòd confirmatur ex adversarijs quorundam Bibliorum Latinorum Genevensium, quæ diligenter à Canonicis conservabantur, & in quibus inscriptum erat, Ecclesiam Genevensem ab Apostolorum discipulis, aut viris Apostolicis originem trahere, eamq; florentissimam, dominationem in urbes, intra Alpes Rhæticas & Celticas sitas, obtinuisse. Civ. Genev. pag. 22.

HAS Verò
CIVIT. CELEBER. FLORENTISS. Q.
ANTIQUITATES
S. P. Q. GEN.
REFORM. RELIGION. CULTOR.
Inclyto, Pio, Felici.
D. D. C.
Joh. Bap. Plantinus. V. D. M.
De

De Muro Cæsaris.

MIrandum fuisse murum illum, à Cæsare adversus Helvetios constructum, arguunt varia. I. Quòd longitudo ejus fuerit à lacu ad montem Juram. II. Quòd ubiq; fossa, & varijs castellis munitus fuerit, atq; adeò firmus, ut ab Helvetijs superari non potuerit. III. Quòd magnum illud opus, brevi tempore confectum fuerit. Duas circa hunc murum reperio difficultates. Prima respicit locum specificum, ubi ædificatus fuerit ille murus. Omnes Geographi, de hoc loquentes, illum cum fossa propè Nevidunum ponunt, imò illum ab oppido Neviduno secundùm rectam lineam, ad radices usq; montium vicinorum monti *de la Dolaz*, fuisse ductum autumant: non obscura ejus operis se vidisse vestigia testatur *Merula* par. 2. lib. 3. cap. 43. Sed falluntur omnes illi, meo saltem judicio, cùm enim *Cæsaris* textum inspicerem diligentiùs, illorum sententiâ cum Cæsare consistere non posse animadverti. Certum autem est ex Cæsare 1. Helvetiorum regionem Genevam usque fuisse porrectam, sic enim Cæsar. *Ex eo oppido* (Geneva) *pons ad Helvetios pertinet.* vox illa, *pertinet*, duplicem pati potest explicationem; quidam enim illam interpretantur per *spectat*, aut *respicit*. Alij accipiunt possessivè,

sivè, Geneva enim extremum erat oppidum Allobrogum, qui lacu & Rhodano ab Helvetijs dirimebantur. Credibile etiam est, partem S. Gervasij nondum fuisse ædificatam, pontemq; illum, qui propè urbem erat, Helvetiorum fuisse, quem rescindi curaverit Cæsar maturè ne eo Helvetij uti possent. 2. Sic clarè loquitur Cæsar. *Helvetij ea spe* scilicet itineris per Allobroges à Cæsare obtinendi, *dejecti, navibus junctis, ratibusq; compluribus factis, alijs vadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, sæpiùs noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione, & militum concursu, & telis repulsi, hoc conatu destiterunt.* Non ergo murus ille prope Nevidunum fuit; aliàs Helvetios murum fossamq; superasse oportuisset, siquidem Rhodanum ratibus transire conarentur. Verisimilius est ergo, illum Cæsaris murum fuisse prope Genevam, non longè ab Rhodani ex lacu effluxu ad montem Juram; seu, ut observat *D. Gaudard.* inter ipsam urbem Genevam & ipsos Helvetios, incipiendo paulò supra urbem versus locum in radice montis, ubi vicus *Jornan*, per Gayensis territorij medium: Credit *D. Gaudard.* constructũ fuisse illum murum non tantùm ad coercendos Helvetios, temerarij eorum conatus tempore, sed etiam ad eos deinceps intra suos fines continendos.

Altera difficultas est circa hujus muri longitudi-

gitudinem; qua de re sic Cæsar. *A lacu Lemano quem flumen Rhodanum influit ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetijs dividit, millia passuum decem & novem, murum in altitudinem pedem sedecim, fossamq; perducit.* Opinatur *Cluverius* apud Cæsarem mendum esse, & ex varijs exemplaribus, ubi in his esset X. m. p. in illis IX. m. p. imperitos conjunxisse XIX. m. p. & reverà à lacu Lemano propè Genevam ad montem Juram, non tanta est distantia, ut tot passuum millia reperiri possint. Hunc murum extendunt nonnulli, usque ad Virginis (ut vocant) castrum.

De Celebrioribus & Antiquioribus Helvetiæ locis.

AD celebriora Helvetiæ loca quod attinet, ea maximo satis fuisse numero certum est. Cæsar in quatuor Helvetiæ pagis XII. urbes & quadringentos vicos fuisse dixit; quinam fuerint illi pagi, alibi vidimus. Oppida non recenset, neque vicos. Loca illa certò rescire difficile nimis, & nominare velle temerarium judicamus: Cùm enim Helvetij omnia igne consumpsissent, eos ijsdem locis sua reædificasse oppida, aut ea ijsdem insigniviſse nominibus, certum non est. *Antoninus* & alij quidam veteres, variorum locorum meminerunt; utrum

utrum verò hic vel ille locus oppidum, aut vicus, vel castrum fuerit, non semper dicitur; neque omnino certum est, omnia illa loca, jam Cæsaris tempore fuisse. Nos tamen uniuscujusq; loci antiquitatem, quantum ex conjecturis, inscriptionibus, & authoribus fieri poterit, investigabimus: à locis autem in pago Urbigeno celebrioribus ordiemur. Hic enim pagus, ut in agri bonitate & amœnitate, alios superavit, & etiamnum hodie superat, ita quoque populis, oppidis & vicis alijs frequentiorem creditu non est difficile.

Nevidunum aut *Noviodunum.*

TRium oppidorum sub Novioduni nomine meminit Cæsar. Primum inter Belgas erat situm, Suessionibus & Veromanduis finitimum, Parisijsq; proximum. Hodiè civitas est Episcopalis in provincia Rhemensi, antiquum nomen retinens, gallicè *Noyon*, de quo *Cæsar* lib. 2. Alterum Celtarum ultra Ligerim fl. fuit oppidum, in Biturigum finibus, Avarico Biturigum, Genabo Carnutum, Vellaunoduno & Agendico Senonum oppidis proximum, de quo Cæsar lib. 7. Tertium inter Celtas Heduorum fuit oppidum ad Ligeris ripas, Bibracti Heduorum oppido vicinum, ut testatur idem *Cæsar*, eodem lib. 7. Est tamen

tamen & aliud Noviodunum, in Helvetiorum finibus, tribus circiter miliaribus à Geneva distans, quod Nevidunum, magis quàm Noviodunum vocate præstat. Gall. Nyon. Germ. Newis. Hujus quidem mentionem non facit Cæsar, antiquum tamen fuisse aliunde probatur: Quod antequam videamus, hoc annotare juvat. *Clitipho* antiquus apud *Plutarchum* author, qui de fluminibus librum conscripsit, testis est vocem DUN, aut DUNUM, veteri Celtarum lingua, collem seu montem significare, unde etiam adjectam plerumq; videmus eorum oppidorum nominibus, quæ ad montes aut colles, aut saltem non longè ab illis, edita fuerunt. Sic *Minodum, Nevidunum Lausodunum, &c.* Hujus vocis vestigium remansisse videtur apud Belgas, *Duynen*, & Gallos, *Dunes*, id est, aggeres adversus maris fluctus constructi; Sicut annotat Bodinus. Athæneus verò Dounos à Celtis Dominos appellari scribit. Hoc oppidum ante Julium Cæsarem, *Benevis* vocatum fingunt *Vaudi chronica*, à quodam *Beneno* Helvetiorum Rege, qui in hoc sumptuosè ædificato, & varijs privilegijs ornato, regiam sedem fixerit: Illud ab Helvetijs cum reliquis combustum vult *Guilliman*. Quid verò conijci possit, nescio. Si enim jam Cæsaris tempore, Helvetiorum fuerit oppidum, miror, qua ratione hujus non meminerit Cæsar, cùm ab urbe Geneva, ubi

per

per aliquod tempus manſit, non multum diſtet; atque propè illud murus ille à Cæſare conſtructus fuerit, ut voluerunt quamplurimi. Crediderim potiùs, nondum Helvetici belli tempore oppidum fuiſſe, aliàs ſi verum eſſet, quòd murus ille ibi fuiſſet extructus, Helvetij ſine dubio in illud opus impediendum incubuiſſent. Veriſimile itaque eſt neque oppidum, neque murum hoc in loco fuiſſe; Nec contrarium ullo idoneo probari poteſt teſtimonio. Dicit quidem *Mercator*, Nevidunum olim vulgò Benevis, ante Cæſaris adventum deſtructum, quod poſtea ſub Veſpaſiano, à quodam Centurione *Nyon*, reparatum fuerit: Sed, ut opinor, hæc commenta ex fabuloſis illis Vaudi chronicis deſumpſit. *Cluverius* lib. 2. cap. 4. ſupponens illum Cæſaris murum hac in parte fuiſſe, credit ex pluribus caſtellis à Cæſare extructis, primum, lacuique proximum haud dubiè fuiſſe, quod poſtea in oppidi modum excreverit, & colonia cognomento equeſtris factum ſit; Quin hinc militum præſidium à Cæſare contra Helvetios lacui impoſitum, vult idem *Cluverius*, unde *Lucanus*.

Cæſar ut acceptum tam prono milite bellum
Fataq; ferre videt: ne quo languore moretur
Fortunam, ſparſam per Gallica rura cohortes
Evocat: & Romam motis petit undiq; ſignis:
Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno:

Hæc

Hæc tentoria fuisse creduntur inter Nevidunum & Rotulum, propiora tamen Nevidu-no; añotante *D. Gaudard.* Quidquid sit, hoc certum hunc locũ nominatum, *coloniam Equestrem*, aut simpliciter, *Equestrem*, ut ex quadam inscriptione suprà ad urbem Genevam recensita, patet; aut *Equestrim* pro *Equestrium*, scilicet civitatem, apud *Antoninum*. In notitia Romanar. provinc imperij occidentalis, cujus auth. existimatur *Marianus Scotus*, ut habet *Merula*, sub provincia Lugdunensi quinta recensetur *civitas Equestrium*, hoc est, Nevidunum. Hanc Equestrem Coloniam *Plinius* lib. 4. cap. 17. in Helvetiis, Ptolomeus verò in Sequanis posuerunt. Non desunt, qui dubitent, utrum illa equestris colonia sit Nevidunum, au *Thonon* in Allobrogibus; alij quoque Neocomum esse crediderunt, aut Lausannam. *Pinetus*, Plinij interpres Gallic. Illis tamen assentiri non possumus. Verisimile est, Cæsarem pacatis Allobrogibus, & imminente Helveriorum bello, Genevæ, ob loci opportunitatem coloniam equestrem collocasse, quæ ab ipso *Iulia* denominata fuerit, (ut testantur Genevenses inscriptiones) quæq; postea Nevidunum usque ob commodam alendis equis regionem, se extenderit, & oppidum illud extruxerit, ut adversus Helvetios se tueri posset, & in illa regione firmiores haberent sedes. Neviduni enim adhuc extant Romanæ inscriptiones,

ptiones, Romanos hic habitasse indicantes. Fuit in hoc oppido Fabrorum præfectus, qui ex lura monte, per Rhodanum in mare, abietes ad navigationem deducendas curabat, ut *Guilliman.* ex hac colligit inscriptione, quæ lapide inverso, in inferiore urbis parte in officina quadam sic extabat.

D. IVL. L. F. VOL. RIPANO
CAPITONI. BASSIANO.
EQV. PVBLICO. HONORATO
PRÆFECTO. FABRVM
TRIBVNVS. MIL. COH. I. GAL.
L. IVL. BROCCHVS
VALER. BASSVS.
FILIO.

Sequentis quoque inscriptionis fragmentum, Neviduni non ita pridem in superiore urbis parte cernebatur.

-----ANTABRO-----
VAC. R. CONVENT.
HELVETIC. IIVIRO.
IVLIÆ. GELL. MARCEL.
CORNELIA. F.

Inter castri ruinas visebatur & hujus fragmentum, in lapide fracto, referente *Simlero* MSC.

NIE PRIMUS
E CENA OVIL IIII
E CENAM BIL
ERIEM

Nevidunum antiquis temporibus illustre & amplum fuisse oppidum non incertum & ex

ex ejus ruinis ædificatum postmodum *Coppetum*, credibile est, cùm ibi epitaphium extet, procul dubio ex Neviduno allatum. *Simlerus* & *Stumpf.* lib. 8. pag. 272. referunt fuisse in pariete privatarum ædium hoc modo.

D. M.
PHILEII. BRIT
TÆ. ANNORVM
XXIIII DEFVNCT-
O. CLAVDIA
NVS. FILI VNICI
ET. PIISSIMI
P. C.
SVB ASCIA DED.

In porta *Versovy Versois* apparet & hæc inscriptio procul dubio etiá ex Neviduno illuc trãslata: Quam *Stumpf.* lib. 8. p. 272. Sic refert.

D. VALERIO ASIATICI LIBERT
SISSI IIIIII VIRO COL. EQ.
EX T.

In arce *Prangina* propè Nevidunum, alia visitur inscriptio, ex qua conijcere est, vel Nevidunum huc usque porrectum, vel saltem inscriptionem huc translatam, quæ *Guillimanni* tempore integra adhuc cernebatur hoc modo

C. IVL. C. F. VOLT.
SEMATO
IIVIRO. ITERVM
FLAMINI. AVG.
L. IVL. CAPITO. AMICO
OPTIMO.

Lausanna.

QUamvis istius urbis origo non ita cer-

ta, nec de illa quidquam apud Cæsarem, & alios veteres multos habeatur, nullæque ibi hodie Rom. extent inscriptiones; antiquam tamen esse certum, non tamen ubi nunc est, sed lacui propiorem vetustissimis temporibus ædificatam, constat ex multis murorum ruderibus, lapidibus sepulchralibus, & urnis in agro Vidiano repertis, nec non etiam variis veterum Imperatorum numismatibus, quorum maximam copiam apud D. DesBergeries Hebraicæ linguæ in Lausannensi Academia Professorem vidi. *Vidianæ civitatis*, observat D. Hermannus, *vestigia inter alia sunt etiam ista innumerabilis quantitas lateritiorum fragmentorum quæ reperiuntur, tam in littore lacus, quàm in agris & campis.* Mirabilis est quoque parva bovis cum Sacerdote effigies ibidem reperta ante aliquot annos & quæ hodie in curia visitur. Non injucundum erit, quæ super hac re scripsit *D. Depetra* nuper Lausannensis Pastor hîc referre, sicut in eadem curia in tabella visitur.

Jehovæ optimo Max.
Et Patri Dom. N. Jesu Christi clementis
Benedictio, laus & gloria:

Qui sicut nos elegerit in ipso ante jacta mundi fundamenta, ità temporibus ignorantiæ dissimulatis, tandem nos vocavit in admirabilem lucem suam, discussis & dissipatis gentium tenebris, in quibus territorij hujusce incolas, tot retro ante secula positos delituisse comprobat nuper repertum, in Vidiano (quem vocant)

vocant) agro, ubi quondam Arpentinum oppidum ad lacum Lemanum, in jurisdictione Lausannensium situm fuisse constans est fama:

Agalmation hocce

Olim haud dubiè, ni nos fallit conjectura, saxo aut ligno in pariete celebris alicujus ædificij, sive sacri, sive prophani, putà delubri, aut Principis alicujus viri palatij, tanquam insigne, seu monumentum solennis alicujus sacrificij antea feliciter peracti, affixum, quippe dimidiatum & concavum: Hîc verò habes Taurum, seu victimarium demulcentem aut præparantem de more victimam: nulla enim hic mola & corona in capite Tauri. Quod attinet Sacerdotem, non tam infulatum aut vittatum, quàm simpliciter velatum, (lino an lana incertum) animadvertis: nec coronatum, nec ullâ ad feriendam aut jugulandam victimam, securi cultrove instructum: Quid sinistrâ innixa Tauri dorso teneat, vix conjicimus: nisi fortè, strigileculam dixeris, quâ leniter scalpere, & fricare prurientem belluam, aut sordes abradere videatur. In dextra porrò illius vides urceolum, Ulochyten dixit Homerus, ex quo in cervicem Tauri conatur infundere aliquid: fortean nitrum, quo infuso victimæ fiebat exploratio, sic Æneid. IV.

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Ubi commentator monet, non esse sacrificium, sed hostiæ explorationem, utrum apta sit..... inter cornua fundi solere credunt. Græci tamen moris esse scribit Rhodiginius, Tauros explorare farinâ appo-

appoſita, ſi guſtare abnuiſſent, concipiebant inde haud valere. Os inſuper Sacerdotis apertum, ſacrum aliquod carmen, aut, ut cum Macrobio dicam, ſacrificale verbum; quod de more aut pronuntiaret, aut mußitaret, inſinuat. Addo de calceis dimidiatas ocreas videri, tanquam ejus qui in udo loco ſacra faceret. De Tauro quæ maxima creditur victima, obeſus ille, præpinguis & eximius (quod Poeta verbum) cui porrò hæc præparetur hoſtia, ſi quæris amplius: Reſpondeo, aut Neptuno, aut Apollini, aut Marti. Jovi enim Tauros mactare nefas erat. Quare erravit in hoſtia Dux Trojanus, cujus hæc ſunt verba Æneid. 3.

------ Superoſq; nitentem,
Cœlicolum regi mactabam in littore Taurum.

Unde & Pontificij juris rituſve ignaros fuiſſe Lyſtrienſes ſacerdotes, qui Act. 14. Barnabæ quem Jovem, & Paulo, quem Mercurium eſſe credebant, perperam Tauros mactare conabantur, obſervandum, niſi fortè ibi per Tauros, Juvencos intellexeris: Jovi enim Juvencum immolari ſolitum annotat Servius ex Poeta.

Et ſtatuã ante aras (Iovis) auratâ fronte juvencũ.

Aliàs Attei Capitonis lex eſt, ſi quis fortè Jovi Tauro fecerit piaculum dato, Neptuno autem potiùs quàm Apollini, aut Dæmoni cuipiam alteri mactari Tauros religionis eſſe, ut credam, facit loci circumſtantia, in littore enim lacus Lemanni, ubi non ita procul reperta imago, olim verè Anchialum Thalaſſium Neptuniumque fuit oppidum; in

ejuſmo-

ejuſmodi verò locis tales immolari victimas, marinis illis Deaſtris religionis eſſe, vel ex uno illo Cloanthi apud Virgilium Æn. V. pro impetranda victoria in navali certamine, ſolenniter concepto voto intelligimus.

Dij quibus imperium Pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hunc candentem in littore Taurum,
Conſtituam ante aras voti reus, extaq; ſalſos
Proïciam in fluctus & vina liquentia fundam.

Hinc obiter hallucinatum Cœlium Rhodiginium obſervo, qui Neptuno Tauros Pannelanas, ob maris colorem immolari tantùm ſolitos, ſcribit. Cur verò Tauri, illi Deo immolarentur, rationem ſubijciens ait, quòd veluti boves, ſic flumina terram proſcindant, vel quòd fluviis ferè adjacent paſcua. At magis illa ſpectant flumina, quibus Poetæ etiam Tauri formam appingunt: itaque idem author tradit potiùs Tauros Neptuno immolatos ob mugitum quem commotior agitato mari edere videtur, unde illi Mycetias epithetum, quidni etiam hanc ex fabula affingamus cauſam? conculcati nempe dorſi pedibus Tauri Europam ex Phœnicia in inſulam Cretam deportantis, unde hoc animal tanquam inviſum ſibi maclari gaudeat numen? Non aliter quàm Venus ob interemptum Adonidem amaſium apri morſu ſibi ſuem immolari geſtit. Quod attinet materiam, ex qua conflata effigies, ſubit mirari perennitatem illius, quippe in qua nihil tot ſeculorum continua ſerie & multitudine adeſum imminutum-

ve, hic fermè pati videtur enstasin, verissimum aliàs illud Nasonis epiphonematicum pronuntiatum.

Tempus edax rerum, tuq; invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataq; dentibus ævi,
Paulatim lentâ consumitis omnia morte.

Quis hîc non stupeat, ad tantam tantuli æris contumaciam, adversus non solùm tot hostium devastationes, sed & elementorum ipsorum, cœli, aquæ, ignis, terræ, ipsiusq; denique cuncta consumentis temporis injuriam, violentiam & edacitatem, ne minimam quidem in minima parte passi, quam penitius contemplantium oculis ingerat diminutionem; Nam quod cornu dextrum fractum præseverat, ea forma fusum credibile est, ut inde pugnacis Tauri ferociam colligas, ac proinde de victimæ pretio constet. Etsi autem de ætate hujus imaginis nihil potest definiri & constitui certi: verum tamen cùm reperta sit, non quidem in ruderibus, quorum vix tantula majoribus nostris apparuere vestigia; sed veluti in cineribus florentissimæ quondam civitatis, quam multò ante C. Julij Cæsaris tempora eversam funditus à Lemano quodam (à quo & lacui nomen) Magni cujusdam Herculis Gallorum regis filio; & ex ejus reliquiis Genevam fundatam anno ab orbe condito termillesimo nongentesimo nonagesimo quarto, non modò ex iis, quæ hujus Valdensis regionis (quam vocant) circumferuntur chronicis, sed ex fide dignis authoribus accepimus: Inde liquet, hanc imaginem esse ad minimum circiter mille sexcentorum & sexaginta annorum, si jam modò liceat numerare, ab

orbe

prbe condito cum nonnullis, qui circa istam temporum supputationem videri volunt omnium accuratißimi, quinquies mille sexcentos quadraginta novem annos. Quoad orichalcum, ex quo conflatum hoc simulachrum, olim in maximo pretio fuisse conteſtantur vetuſtißimi quique Scriptores. Ex hoc metallo plerique ferè omnes nummi cuſi, nondum priſcis illis mortalibus tanta vis auri & argenti innotuerat. Habes paucis deſcriptum vetus hoc ſignum. Quid inſuper penitius intuentes admoneat, & cum Paulo tacitè conteſtari videatur,

Accipite.

Mementote vos quondam &c. Eph. 2:v. 11. 12 &c. Ergo gratias agite Patri. Coll. 1. v. 12: 13. Quin & illud hieroglyphicum monitum non aſpernandum.

Appinge: fortaſſe etiam non affingo;

Circunſpectè agat Taurus, jam altero cornu mutilus, caveat ille ne adſtantis inſtantisq; victimarij Rom. aſperſionibus, carminibus, aliisve blanditiis Pontificis delinitus, deceptus & præparatus (quod propitius nobis hactenus Deus averruncaßit) AVST. Numini cadat victima.

S. P. Q. L.

Mnemoneuticum hoc oblatum & appenſum Pinacium. COS. Nobiliſſ. Ampliſſimo, literatißimoq; viro Benjamino Roſſeto Domino de Wſflens. PRAET. URBANO D. Johanni Copino viro integerrimo, & juris obſervantiſſ. æquißimoque. QUAEST. Nobi-

lissimo Prudentissimoq; viro D. Joh. Bapt. Signodo. TRIBB. PLEB. Nobilissimis ornatissimisq; Viris D. D. Henrico Praromano Domino de Cheires. Johan. Rodolpho Mistrali. Abrahamo de Monterand. Joh. Bap. Seignodo. Francisco Gaudino. ÆDILITATEM gerente Jodoco Gaudardo viro politissimo & Architecturæ peritissimo, diligentissimoq;. Anno à Virginis partu. 1629. 5. Id. Apr.

Gabriel Depetra Eccl. Laus. Pastor.

Sed ad institutum nostrum redeamus, & unde Lausannæ antiquitas peti possit, videamus. Refert *Mercator* in veteribus chronicis reperiri, Lausannam A.M. 2790. ab Arpentino Herculis centurione fundatam sub nomine Carpentoracti (aut potiùs Arpentinæ) quod immutatum, cùm urbs super montem transferretur, circa Martini Episcopi tempora A.C. 593. Eadem ferè habent Vaudi chronica: Narrant enim Arpentinum, sub Hercule belli Ducem, propè rivum nomine Carma. A. M. 2842. urbem quam Arpentinam nominaverit, condidisse, ex cujus ruinis Lausannam ædificare cœperit Imper. Valerius Aurelianus. Dicimus verò ad hæc: Urbem aliquam ibi fuisse conjectura est non levis, de cujus origine narrationem in medio relinquimus. Deinde hallucinantur illa Vaudi chronica, dum Aurelianum, & Genevæ restauratorem, & Lausanæ fundatorem constituunt; si enim idem est Lausannæ conditor, qui Genevæ restaurator, non ille Aure-

Aurelianus erit, sed Marcus Aurelius Antoninus, ut ex inscriptione quæ Genevæ extat suprà vidimus: Sed nascitur hîc mihi scrupulus ex supra memorata inscriptione. Utrum ille Aurelius sit, qui Pius cognominatus est, aut qui ei successit, & dictus fuit M. AUR. ANTONINUS VERUS PHILOS. Priorem esse, indicare videtur inscriptio, dum eum nominat AUREL. ANTONINUM PIUM, sed eadem inscriptio eriam refragari videtur, dum eum vocat M. id est, Marcum, non enim reperio eum Marcum, sed T. id est, Titum, nominatum: *Eutropius* lib. 8. istius nomina recenset hoc modo: TITUS AURELIUS FULVIUS ANTONINUS PIUS. Aut ergo in hac inscriptione M. positum est pro T. aut quod verisimile esse posset, qui illam ex marmore descripserunt, in describendo errarunt; Vel adhuc, intelligenda esset inscriptio de M. AURELIO ANTONINO, cognominato VERO & PHILOSOPHO, qui forsan etiam PII. Nomen acceperit. Quidquid sit, certum saltem est, Genevæ restauratorem & Lausannæ fundatorem non esse Aurelianum, qui dictus est, L. DOMIT. AUR. VAL. AURELIANUS, *Guillim.* hæc nomina sic refert pag. 167. hic nunquam vocatur Pius, imò crudelis fuit; regnavitq; centum circiter annos post duos superiores imperatores.

Credidit *Guillimannus* pag. 31. Lausodunum

ex 12. oppidis Cæsaris tempore incensis, fuisse; illudq; esse oppidum, quod apud Ptolomæum, librariorum incuria, aut Scriptoris ignorantia *Diasanium*, corruptè pro *Lausanium*, vocatur; facilis enim apud Græcos Δ & Λ est lapsus, ut notat *Simlerus*. Ms c, Sed his relictis, evidens & antiqua est, in *Antonini itiner.* Lausannæ mentio, ubi lacus *Lausonius* dicitur distare ab Equestribus X X. m. p. crediderim vitiosè legi *lacum*, pro *locum*, & tum temporis, non quidem urbem fuisse, sed locum aliquem, putà vicum, aut arcem celebrem. In tabula itineraria est *lacus Losonne*; legit in inscriptione lacus *Cluverius*, lacus *Losauente*, corruptè pro lacus Lausanensis. Apud Antoninum legisse videtur *Guillim.* Lausunum. *Sabellicus* Enn. 6. lib. 5. Lauxanam pronuntiavit, sed malè. Observat *D. Hermannus* accuratus antiquitatum indagator; constare ex veteribus documentis, præcipuè ex Testamento Berthæ Burgundiæ Reginæ, Lausannæ civitatis nomen fuisse *Lausona*; & ex alijs antiquis Actis *Lausene* & *Losene*, juxta *D. Gaudardi* observationem. Inepta autem est quorundam originatio, qui Lausannam dictam putant à duobus rivis, inter quos maxima urbis pars jacet, juxta hunc versum, quem sic pronuntiant:

Inter *Laus* & *Anna*, fuit fundata *Lausanna*.

Certum verò est nec rivos illos ita nominari, nec ab initio istius urbis fundationis, inter dictos

ctos illos rivos fuisse, quotquot enim ædificia, quæ nunc ibi sunt, longè post vicum Burgi, *la rue de Bourg*, constructa fuisse constans est inter Lausanenses opinio, ex Vaudi chronicis, &c.

Urba.

HOc oppidum non multa antiquitatis habet monumenta, hîc nullæ Romanæ inscriptiones. Antiquam tamen esse constat, cùm enim pagi Urbigeni mentionem faciat Cæsar, exinde non levis elicitur conjectura, ab oppido Urba, denominatum illum pagum, ut volunt ferè omnes antiquitatum Scriptores. Istius quoque meminit *Antoninus*; unde conjecit *Cluverius* pagi illius fuisse caput, cui successerit Aventicum, Urbamque Antiquorum esse Orbam hodiernam, siquidem præter nominis similitudinem, intervallum probè conveniat, quod est à Lausanna XVIII. m. p. secundùm *Antoninum*. Referunt *Vaudi chronica*, priscis temporibus vocatum hoc oppidum *Tavelles*, constructumque fuisse ab Alemannis qui illam Helvetiæ oram occupassent, sed illis ab Helvetijs profligatis & devictis, destructum & dirutum, idq; ante Cæsaris tempora, ut volunt eadem chronica.

Ebro-

Ebrodunum.

NOminatur hic locus Ebrodunum, aut Eburodunum, hodie Yverdunum. Tria fuisse loca hoc nomine appellata annotat *Cluverius.* Primus locus est in Alpibus Delphinatus, cujus meminit *Antoninus*, vulgò *Embrun.* Alter in Germania est ultra Bojohæmum. Tertius est in Helvetia, cujus quoque mentionem facit Antoninus, in itineraria tabula. In libello ubi Romanæ provinciæ recensentur, Ebrodunum inter castra ponitur, teste *Guillim.* qui unum ex XII. Cæsaris oppidis fuisse credit, Romanosque hîc habuisse præfectum, per quem curarent abietes ex monte Jura, ad navigationem parari, dicit. Hoc oppidum jam Cæsaris tempore fuisse conjectura tantùm est: Veterum enim nulli, & ante Antoninum, & illum *Notitiarum libruin,* meminerunt. Visitur quidem hodie ibi inscriptio, in rotundo marmoris albi lapide, muro privatarum ædium indito. Inscriptio manca est, & sic se habet, prout ipse eam descripsi

IMP. CAES...
L. SEPT. SEVERO
PERT, AUG. ARAB.
PAR. H. G. MAX. P. P.
IMP. CAES. M. AUR.
... NON NG . POTE ...
COS . . . . . .

Sed

Sed lapidem hunc repertum fuisse in pagulo vicino nominato, *Treycovagne*, testantur multi. « Cùm præstantissimus Vir Dominus Daniel Morlot, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Chiliarcha & expræfectus Romani monasterij & Morgiensis ante aliquot annos unà cum alijs laudatissimæ societatis immensi illius aquæductus operis consociatis Canalem illum inter Albonam & Ebrodunum per mediam paludem, omnis generis mercibus & præcipuè vino Yverdunum usq; transvehendis opportunum, magno molimine conficiendum curaret, inter rupes præscissas Serratæ, quasi in medio earum, qua patet, transitus, An. 1640. repertus est lapis cum sequenti inscriptione, quæ ita se habet cum interpretatione & expositione Præstantissimi Viri, Domini *Cæsaris Lentuli*, inclytæ Reipublicæ Bernensis Senatoris Clarissimi ex Nobilissima & antiquissima illa Romanorum Lentulorum prosapia oriundi.

IMP.
CÆS. TR. P. AILIO.
HADRIANO.
AUG. P. M. TRIB.
POT. COS. III. P. P.
AVENTICUM
M. P. XXXXI.

Inter-

Interpretatio.

Imperatori, Cæsari, Triumphatori, Publio Ælio, Hadriano Augusto, Pontifici Maximo, Tribunitiâ potestate, Consuli tertium, Patri Patriæ, Aventicum, monumentum posuit (Anno vitæ Hadriani) quadragesimo primo: Vel quòd millia passuum 41 iter aperuisset.

Ælius Hadrianus XV. Rom. Imp. immensi laboris: quippe qui provincias omnes pedibus circumierit: Socias civitates; atque tributarias & subditas mirificè juvit; multas earum invisit, & quas nullus ante se imperatorum viderat, atque omnibus aliquid opis & auxilij tulit. Ejus cùm alia monumenta, tum in Helvetiorum finibus Pons Ælius, in comitatu Burgundiæ, quem Pontarlinium vulgò nominamus, itinere illo cujus extant adhuc vestigia; quod quondam Agrippa Galliæ præfectus ex Lugdunensi provincia, & Haduis in Sequanos Rauracosque & Rhenum perpetuis stratis perduxit. Natus autem Hadrianus Anno C. 75. Imperator creatus Anno. 116. Regnavit annos 22. vixit anno. 63. obijt A. C. 138. Subductis igitur annis imperij 22. ab annis ætatis 63. restabunt anni 41. qui numerus est de quo agitur.

Ab iò-

Abiolica.

HUjus loci distantia variè apud Antoninum legitur. In tabulis Abiolica ab Eburoduno distat XIIII m. p. apud Antoninum XXIV. m. p. *Merulæ* testimonio. *Cluverius* verò dicit in tabul. Antonini VI. m. p. distare ab Eburoduno Vesontionem versus. Hinc natæ discrepantes sententiæ, credit enim Merula esse *Ornans*, in Burgundiæ comitatu. Vult verò Cluverius nomen hoc & spatium situmque convenire vico hodiè dicto *Bulet*; in monte Iura sub DD. Bernensium jurisdictione, in præfectura Yverdunensi. Observat tamen *D. Herman.* vicum Bulet, non antiquum esse, imò quidem vicum *Sanctæ Crucis*, dictum. Ex veteribus enim actis ostenditur, locum illum Bulet fuisse, tempore Sabaudiæ comitum, extirpatum à quibusdam tributariis, unde etiam illius incolarum hodierna lingua, accentum retinet Sabaudicum.

Viviscum.

MEminit huius loci Antoninus, eum vocans Bibiscum, & in tabul. Vivisicum, vulgata has literas B & V mutandi ratione, ut ait *Guillim.* pag. 42. Nos rectam pronuntiatio-

tiationem credimus esse, Viviscum, & hodiernum nomen hoc modo enuntiandum *Vivey*, Germ. Vivis: Et in actis malè Viviacum & *Viveis*. Corruptum igitur est hoc nomen apud *Lambertum Schaffnaburg*, qui in itinere Henrici IV. Imp. vocat *Civis*, pro Vivis. Distat hic locus, secundùm Antoninum, à *Penne* VIII. m. p. *Cluverius* lib. 2. cap. 4. ait, hunc locum extra Helvetiorum fines fuisse Nantuatium; Nos verò in Helvetiis situm fuisse asserimus; vicumq; antiquitùs, ob loci opportunitatem, celebrem judicamus. Ad Nantuates & Antuates quod attinet, quam regionem occuparint; postea videbimus.

Calarona.

QUamvis istius loci non meminerit Antoninus, antiquum tamen esse, certum: *Præsidium*, inquit Guillim. pag. 100. *habuisse paulò certius est, si libro Notitiarum fides, in eo enim tribunum & cohortem locat.* Sic enim liber ille; *In provincia maxima Sequanorum Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calaronæ, &c.* Nominis vestigium hodie manet in quadam arce ad lacus ripam prope vicum S. Symphoriani, in præfectura Lausañensi: vocatur arx illa *Glerolles* vel *Gleroule*, & in actis Glerola vel Gleyrola. Locum illum antiquitus vicum, oppidum aut castrum fuisse, incertum est, antiquum tamen esse

esse crediderim ex hac inscriptione, quæ nunc in templo S. Symphoriani cernitur, propè portam minorem in rotunda columna.

TIT. CLAVDIVS. DRVSI. F.
CÆSAR. AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB. POT. VII
IMP. XII. P. P. COS. IIII
F. A.
XXXVII.

Bramagus.

IN plerisque *Antonini* exemplaribus legitur *Braniagus*, secundùm *Cluverium* verò *Bromagus*, in tabulis *Viromagus*, distat hic locus à Vivisco VIII. m. p. Non convenit inter Authores; quis sit aut esse possit locus ille: credit Cluverius esse vicum *Bro*, sed Bro aut Bré lacus est, non vicus, saltem hodie, nisi quis credere vellet, quod alibi diximus, & revera distantia magis convenit, ut & nomen; dicitur enim in Actis lacus Bromagus, ut c. XV. vidimus. Aliter tamen *Simler.* primo lib. de Vall. & *Guilliman.* qui sic loquitur pag. 40. *Bramagus vulgò Bromasin parœcia oppidi Ru, paulò infra situs vicus nunc, oppidum olim fuisse nonnulli voluere, quod Ru usque se porrexerit, parsque ejus fuerit, una cum arce quondam nominatissima, sed jam olim à Sabaudiæ comitibus eversa, quòd eam latrones occupassent, unde toti subjectæ regioni grassabundi*

ſabundi dominarentur. Et mihi relatum nonnulla Bramagi vetuſtatis monimenta notari: Ego rem in medio relinquo, cùm utrobiq; nomen ſatis conveniat, at non diſtantia, quæ in diverſis Antonini exemplaribus variat, legit enim *Cluverius* VIII. m. p. & *Guillim.* XIX. m. p. unde ex illis Antonini diſtantijs, firmæ non poſſunt eſſe conjecturæ. Annotat porrò *Cluverius* vocem, *Magus*, utique annecti vicis & oppidis ad amnes poſitis. *Rhenanus* domum denotare dixit; Affirmant alij, docuiſſe *Plinium*, hanc vocem ſignificatè urbem.

Minodunum.

HUjus loci diſtantia apud Antoninum in varijs exemplaribus diverſa eſt. *Guillim.* legit diſtare à Bramago II. m. p. Alij VI. m. p. Ant. vocat Minodunum, in tabulis Minodum, mutilato vel abbreviato nomine, pro Minodunum, ut ait *Cluver.* lib. 2. cap. 4. variat hujus nominis pronuntiatio; Minnidurum apud Antoninum legit *Guillim.* p. 41. Ab alijs quoque vocatur Melidunum, Meldunum, Modunum. Imò & *Merdunum* in quibuſdam antiquis actis, uſitata ſcil. conſuetudine mutandi L in R & vice versâ: Sicuti in infinitis alijs vocabulis; ut *Arbona* pro *Albona*: *Aruffens* pro *Aluffens*: *Curtillies* pro *Cultilliers*. *Carcular* pro *Calculari*: *Car-*

Carculus pro *Calculus*: *Farcata* pro *Falcata*: *Fulnum* pro *Furnum*: *Malnan* pro *Marnan*: *Albiter* pro *Arbiter*: *Algenteus* pro *Argenteus*: *Ulgere* pro *Urgere*: *Fulchis* pro *Furcis*: *Pulgare* pro *Purgare*, &c. ut obſervavit ex actis *D. Gaudard.* Cæterùm crediderim ego hunc locum rectiùs nominari Minodum, *Gall.* Moudon, *Germ.* Milden. Oppidum hodie eſt, antiquum nomen retinens, de cujus antiquitate alia nobis nunc non occurrunt dicenda.

Paterniacum.

ETſi apud antiquos hujus loci non fiat mentio, antiquum tamen eſſe credimus, tum ob commodum loci ſitum, tum quòd ibi adhuc viſatur inſcriprio Jovi facta, quæ extat in marmore rotundo ſuper ponte Brojæ.

IOVI. O. M.
GENIO. LOCI
FORTUNÆ
REDUCI. D. AP.
PIUS. AUGUS
TUS. DEDIC.

Volunt nonnulli nomen & originem accepiſſe à quodam *Graccho Paterno* Romano, cujus meminit inſcriprio Villariæ, quam poſtea referemus. Hoc incertum eſſe vult *Guillim.* pag. 39. qui tamen illud Cæſaris tempore igne

periisse credit. Ego, salvo aliorum judicio, conijcio antiquissimis temporibus, aliquem fuisse, ad trajectum Brojæ, vicum, qui postea ex Aventici ruinis in oppidum excreverit; non enim, dum Aventicum in flore esset, illi proximum fuisse oppidum verisimile est.

Aventicum.

NUnc ad illustrem, & totâ Helvetiâ celeberrimam urbem accedimus. Perantiquam esse dubium non est, ita ut de hac verè affirmare possimus, jam eam Cæsaris tempore extitisse. Vocatur hæc Antonino *Aventiculum*, in tabulis *Aventicum*, Ptolomæo *Aventicum*; in libro Provinc. sub Theodosio (ut volunt) edito, *Civitas Helvetiorum*. Divisis sub Augusto in XVII. Provincias, Gallijs, Aventicum sub Provincia Lugdunensi quinta habita, & *Civitas Helvicorum*, vitiosè, pro Helvetiorum, vocata. *Ptolomæus*, in Sequanis posuit Aventicum, referentibus *Guillim.* lib. 1. de Reb. Helv. & *Cluverio* lib. 2. cap. 4. *Marcellinus* Galliæ facit civitatem, quam sub Alpium Grajarum & Penninarum Provincia collocare videtur; Alij in Maxima Sequanorum, quæ eadem cum Lugdunensi quinta. Antiquam verò esse ostendunt, I. Narrationes, quæ de illa apud veteres habentur. Narrant Vaudi chronica, Helveticum (à quo Helvetiæ nomen)

men) quarto ſui regni anno, Aventicæ Concubinæ ſuæ impulſu & precibus, hanc condidiſſe urbem, quam in illius gratiam, Aventicum nominaverit. An. M. 4071. Refert *Viterbienſis* chron. part. 9. Aventicum, ſeu ut ille vocat, *Avenzam*, jam fuiſſe tempore Brenni, qui Romam cepit A. M. 3577. olymp. 98. Ab urbe cond. 365. ſecundùm *Funccij* chronologiam; imò volunt multi Brennum Celtarum Ducem, Allobroges & Avenzam Helvetiorum caput tenuiſſe. *Valer. Anſel. Ryd.* in catal. ann, pag. 14. *Carion.* p. m. 151. II. Inſcriptiones Romanæ illius antiquitatem arguunt; variæ autem ſunt, tum in ipſo oppido hodierno, tum in locis vicinis, in quæ translatæ fuerunt. Antiquiſsimæ omnium eſſe perhibentur, quæ Veſpaſiano poſitæ; harum fragmenta quædam cernuntur.

IMP. CÆSARI. VESPASIANO
AUG. PONTIF. MAX. TR. POT. III.
IMP. VIII. COS. III. DESIG. IIII. P.P.

. . . . . .
. . . . . .

In turri quadam literis initialibus.

ERUNT
TI PRÆF.

VESPASIAN VESPAS

CAIO LÆLIO

Freculphus tom 2. lib. 1. cap. 3. de Tito Imperatore loquens dicit, eum civitatem Aventicum, quam pater ejus Vespasianus ædificare cœperat, consummasse; quod non ita intelligendum, quasi ejus urbis fundamenta jecerit, sed quòd colonia eam amplificaverit, quam absolverit Titus. Cùm enim Helvetia sub Virellio, à Cæcinna vastata fuisset, & Aventicum captum, ut refert *Tacitus* hist. lib. 1. Vespasianus, qui in imperio Vitellio successit, plurimas per totum terrarum orbem civitates terræ motu aut incendio afflictas restituit in melius, *Suetonio* teste: hic, inquam, Imperator, cujus pater Sabinus apud Helvetios fœnus exercuerat, cùm Helvetiorum esset Patronus Aventicum restaurandum curavit, & ut populis esset frequentius; eò deduxit Coloniam, quæ Flavia (à gente Flavia, unde oriundus erat Vespasianus) vocata fuit, ut apparet ex inscriptione, que legebatur adhuc Aventici in angulo templi A. Chr. 1536. ut referunt *Guillim.* & *Stumpf.* chron. lib. 4. pag. m. 278. fusè, an benè nescio. Illius tantùm postrema hæc verba *Velserus* in suis inscrip. Vindelic. & *Cluverius* in sua Germ. Ant.

COLONIA. PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA. AVENTICVM. HELVETIORVM. FOEDERATA.

Apollinem hîc cultum, alibi diximus, quod ostendit inscriptio sequens ipsi facta,

&

& templi muro indita, quam sic referunt *Guillim.* & *Stumpf.* lib. 8. pag. m. 263.

NVMINIB. AVG.
ET. GEN. COL. HEL.
APOLLINI. SACR.
Q. POSTVM. HERMES.
LIB. MEDICIS. ET PRO-
FESSORIBVS.
D. S. D. (de suo dicarunt.

Cernebatur etiam hoc monumentum in columna, quæ in platea jacebat. *Simler.* MSC. & *Stumpf.* lib. pag. 263.

D. M.
SEVERIAE
MARTIOLAE
SEVER. MAR
CIANVS
FRATER
F. C.

Referunt quoque idem *Simler.* MSC. & *Stumpf.* ibidem & hoc epitaphium

AELIAE MODESTINAE
QVAE VIXIT ANNIS II. M. VI.
AELIVS CLADAEVS ET CANI
NIA MODESTINA PARENTES
FILIAE DVLCISSIMAE
POSVERVNT.

Quam autem celebris fuerit hæc urbs, illustria veterum ostendunt testimonia, quorum maxima pars eam Helvetiorum, non oppidum, sed civitatem vocant. *Tacitus* in Vitellio, Helveticæ gentis caput agnovit.

Marcellinus lib. 15. dicit, Aventicum *desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant.* Gottfridus Viterbiensis Friderici I. & Henrici ejus filij secretarius de ea urbe sic loquitur.

Cùm loquor Allobrogos fluviũ perpendo Labrojam
Qua fuit urbs quondam grandis velut altera Troja
Nomen Avenza fuit quæ pertura ruit.
Illa superborum viguit feritate virorum,
Marte Suevorum perut primatus eorum:
Decidit armorum cultus, & omne forum.

Longè latèq; ejus patuisse pomœria, ostendunt adhuc hodie murorum & turrium quibusdam in locis rudera; unde Glareanus,

Mœnia lata vides non quæ præsentat is orbis
Oppiduli, sed quæ circulus exter habet.
Gentis Aventinæ cecidit suprema posteſtas,
Quæ caput Helvetiæ tempore prisco fuit.

Imò adhuc antiquissimis temporibus latiùs adhuc patuisse, quàm quod hodie videri potest, credibile est, & ex ejus ruinis ædificatos per universam viciniam vicos, maximè verò vicum dictum *Munchevvyler*, quasi monachorum villam, Gall. *Villar le moine.* Cùm enim variæ ibi extent inscriptiones, conijcere & colligere licet, vel Aventici fuisse suburbiũ, cùm adhuc non longè distet, vel inscriptiones ex Aventici ruinis eò translatas: vult quoq;

Guillim.

Guillim. ibi Deæ Aventiæ fuisse templum; Unde ad dextram & sinistram majoris portæ seu introitus atrii in muro apparent sequentes inscriptiones: de quibus etiam *Stumpf.* in chron. lib. 8. pag. m. 264. & *Simler.* MSC.

DEAE. AVENTIAE
ET GENIO. INCOLAR.
T. IANVARIVS.
FLORIANVS.
ET. P. DOMITIVS.
DIDYMVS
CVRATORES. COL. (scil. Aventicensis.
EX. STIPE. ANNVA.

Supra sequentem inscriptionem cernitur mulieris effigies:

IVLIAE CEN
SORIANAE
CA. IVL. C. AVG.
PIVS PATER.

Item sequens inscriptio:

OCTACILIAE. FA
VENTINAE. VXO
RI. M. OCTACILIVS
IIIIII. VIR. AVG.
---B---SA. VIVA---
- - - - - - - - - - -

Item in rusticæ cujusdam domus angulo ad viam publicam extat in marmore hæc inscriptio:

DEAE. AVENTIAE.
T. TERTIVS.
SEVERVS.
CVRATOR. COLON.
IDEMQVE. AL.
CVI. INCOLAE.
AVENTICENS.
PRIM. OMNIVM.
OBS. EIVS. ERGA.
SE MERITA
TABVLAM ARG.
P. L. POSVER. (publico loco.)
DONVM. D.S.P. (de sumptu publico)
EX. VCC.L.D.D.D. (locus datus decreto Decurionum)

Et Alia in lapidis fragmine ibidem. *Guillim.* p.103. & *Stumpf.* lib. 8. p. m. 264.

DONATO. CÆS. AVG.
SALVIANO. EXACTORI.
TRIBVTORVM. IN. HELV.
COMMVNIS. VICARIVS.

In templi pariete etiam sequentem fuisse inscriptionem referunt *Guillim.* & *Stumpf.* ibid.

GENIO
PAGI. TIGOR.
P. GRACCIVS
PATERNVS
CVR. COL. ET
SCRIBONIA
LVCANA
V. FEC.

In cœnobio in ara templi, apparet etiam hæc.

D. M.

D. M.
L. CAMILLIVS.
FAVSTVS.
IIIIII. VIR. AVG.
VIV. FECIT.
IN. ANNO. LXX.
VIXIT ANNIS
LXXXXI.

Extat adhuc lapis in dicto templo à D. David Morlot Domino dicti loci Münchewyler nuper inventus, cum hac inscriptione.

---ROEPVLON
---VGVST. PR. PR
---IAN. SVPERIOR
---VBL. PATRONO.

Extant quoque Murati sequentes inscriptiones, procul dubio ex Aventici ruinis eò translatæ, constat enim Muratum antiquum non esse. *Simler.* MSC. In Ecclesia parrochiali S. Mauritii extra urbem hæc legitur inscriptio.

D. M.
T. NIGRI
SATVRNIN
SATVRNINA
GANNICA
LIBERTA ET
CONIVNX.
F. C.

Ab altera verò parte templi hæc extat inscriptio.

D. M.

D. M.
HIBERNIAL
VALENTINA

Petinesca.

Huius loci meminit *Antoninus.* Distat ab Aventico XIII. m. p. vel juxta *Guill.* XXVIII. m. p. In tabulis est Peteniſca. Legit apud Antoninum *Guill.* Pyreneſca, creditq; fuiſſe oppidulum hodie dictum Büren/ in ditione Bernensium ad Arolam ſitum. Vult tamen *Cluverius* esse oppidum *Biennam.* De hoc nihil aliud apud veteres habemus; unde dubius hæreo, & quinam possit esse locus, vereor definire. Non esse Biennam certum, quia non est recta via ab Aventico Salodorum usque. Hîc prætereunda non est sententia D. Gaudardi, qui ait, *Petineſcam* (*vel potiùs* Pedineſcam) *eò loci fuiſſe, ubi hodie eſt viculus* Tribey. *medio ſcil. Aventico Salodurum uſque itinere non procul à Nydovio inter Arolam & fl. Telam & Pagos illos,* Iens & Schvvanden, *quouſq; olim per mediam paludem antiqua illa Romanorum via* (*quæ adhuc hodie aliquibus in locis integra apparet & vulgò* der Heyden-Wäg/ der Römer-Wäg/ das hoch Gſträß *appellatur*) *in linea recta pertingebat. Quod probare videtur.* 1. *Nominis affinitas;* Tribey *enim latinè diceretur* Tripes, *ſcil. à tribus*

viis

vijs, quæ Aventicum, Solodurum & Nydovium (& inde Bipennem vel Biennam, Gall. Bienne, *Germ.* Biel) *ducebant. Unde à Genitivo* TriPEDIS, *nomen* Pedinesca *ortum. Vel dicitur* Pedinesca *quasi* Pedienſca, *nominibus duorum illorum locorum* Tripedis *&* Iens *in unum conflatis, quia procul dubio olim pagus Iens dicti loci* Tribey *ſuburbium fuerit. 2. Rudera ædificiorum, maximè ſub terra, longè latèque diſperſa. 3. Ruinæ veteris cujuſdam arcis. 4. Varia Numiſmata ibidem reperta. 5. Loci in regione fertili ad montis pedem ſiti, & medio inter Aventicum & Salodurum itinere, commoditas. 6. Foſſa quædam ex vicina Arula omnis generis mercibus & aliis rebus huc advehendis opportuna, quæ adhuc hodiè vulgò* der Gieſſen *appellatur. Quæ omnia urbem hîc fuiſſe oſtendunt, & ſententiam noſtram confirmant.* Hactenus D. Gaudard.

Noidenolex.

APud Antoninum non habetur hic locus, ſed in libro Provinciarum, inter quinq; Sequanorũ civitates ponitur. Arbitratur *Guill.* p. 30. hunc locum eſſe Neocomum oppidum, comitatus Neocomenſis caput, cujus vetuſtatẽ petit jam à Cæſaris tempore, quo ex duodecim Helveriorum oppidis unum, & cum aliis cõbuſtum fuiſſe credit. Alij Lauſañam eſſe dixerunt, ſed malè, cùm lacus Lauſonij, ut vidimus

dimus, diſerta apud Antoninum fiat mentio: referente eodem *Guillimanno*, apud quem vide. Aliàs etiam dicitur Noidonolex.

Celebriora & Antiquiora Pagi Ambronici loca.

IAm ad Ambronicum accedimus pagum; qui quidem Urbigeno oppidis & vicis minùs frequens fuit, cùm enim maxima hujus pagi portio, montoſa ſit, & antiquis temporibus minùs culta fuerit, non tot oppida, nec tot vicos habuiſſe veriſimile eſt. Unde etiam loca quæ in hoc pago antiquiora eſſe creduntur, in inferiore Argovia, id eſt, extra montes in planitie propè flumina conſtructa fuerunt. Inter hæc numeramus *Salodorum* & *Vindoniſſam*, ſi quæ alia fuerint, eorum memoria ad nos non pervenit.

Salodurum.

HUjus loci (ut opinor) primus ſcriptorum meminit *Antoninus*, qui diſtare ait à Petineſca X. m. p. & ab Auguſta Rauracum XXIII. m. p. apud enim alios vetuſtiores non ſit, quod ſciam, mentio, niſi valeãt *Cluverij* lib. 2. c. 4. conjecturæ; credit enim ille vitioſè apud Ptolomæum, *Ganodurum* pro *Salodurum* legi, cùm poſitio Saloduro magis conveniat,

veniat, quàm Constantiæ (quæ Ganodurum Ptolomæi quibusdam videtur) Antonino *Salodurum*, in tabulis *Salodurum* dicitur.

Unum ex antiquissimis totius Helvetiæ oppidis esse dicit *Simler. lib. 1. Reip.* imò sororem æstimari Trevirorum, quorum urbem Nini seculo conditam vetusti tradunt annales. Hinc *Alstedius in Thesaur. Chron. tit. XXIX. asserit*, Salodurum & Tigurum 30. annis post Trevirim (*id est, circa A. M. 2000.*) fuisse conditas, adeoq; has tres urbes sorores appellari. Sed hoc fabulosum nimis judicat *Guillim.* qui tamen unum ex XII. Helvetiorum oppidis fuisse asserit, quòd post ejus incendium, restitutum maximus fuerit vicus, & postea sub Maximiano castrum factum. *Stumpf. lib. 7. chron. p. m. 223.* asserit etiam hanc urbem temporibus Abrahami 20. circiter annis post Trevirim fuisse conditam, eodem scil. tempore, quo Damascus in Syria condita fuit. Quidquid sit, celebrem ac veterem fuisse locum, ostendunt non solùm cocti lateres varij coloris, & rudera per ambitum reperta, sed etiam veteres Romanæ inscriptiones, quarum adhuc quædam extant, reperta enim fuit inscriptio Deæ Eponæ facta, Heliogabali, ut credo, tempore, qui & Antoninus dictus, & solis Sacerdos fuit: extat illa in privatis ædibus è regione macelli.

DEÆ

	DEAE. EPONAE. MA--	X.
	OPILIVS. RESTIO. M---	IL:
L	.EG. XXII. ANTONI	
	ANAE. P.P.F. IMMV	
NI	..S. COS. CVR A. SA---	OR
LE	..NS. VICO. SALOD	
D.D.	...XVIII. KAL. SEPTEMB.	
IMP.	.... D N. ANTONINO.	
AVG.	....II. ET. SACERDO	
TE	...II COS.	
	V. S. L. M.	

Hanc inscriptionem *Stumpf. chron. lib. 7. pag. m. 224.* sic interpretatur; Deæ Eponæ maximæ Opilius Restio, miles Legionis XXII. Antonianæ primigeniæ piæ felicis immunis custos, Curator Salensium, vico Salodoren. dedicavit XIII. Kal. Sept. Domino nostro Antonino Aug. & Sacerdote II. & Consule: Votum solvit libens meritò.

Circa annum Ch. CCLXXXVIII. sub Diocletiano & Maximiano, S. Ursum ex legione Thebana, cum sexaginta sex sociis, martyrio affectum ferunt, ibique sepultum, unde postea in ipsius memoriam, conditum templum, in quo erat monumentum hoc, cujus pars tantùm habetur:

T. CRASSI C---
AVITO F.
AN. XXXV.

Cùm anno 1519. altare majus basilicæ dissо-

dissolveretur, in eo repertum arcæ specie saxũ quadratum, edúcta in cacumen suprema parte, ligamentis ferreis admodum firmum, exterius erant hæ literæ, referente *Guillman.* & *Stumpf.* dicto loco.

D. M.
FL. SEVERIANAE.

Interiùs repertæ duorum corporum reliquiæ, in cranio unius erat argentea lamina, cum hoc versu;

Conditur hoc Sanctus tumulo Thebaidos Ursus.

Duas reperio, circa vocis Salodori originem, sententias. Credunt nonnulli Salodorũ dictum, quasi *Solis turrim*, quod arguere videtur Antonini & aliorum pronuntiatio, qui Saloturum vel Soloturum pronuntiant, & antiqua turris, quæ adhuc in urbis medio conspicitur, quamque arcis ab oriente introitum servasse ait *Guillimannus*. Unde volunt multi vocem *Durus* aut *Durum*, veteribus significasse turrem, quam Germani vocant Thurn/ aut *Thorn*, ad quod respicere videtur hodierna pronuntiátio Germanica Solothurn. Refellunt tamen alij, inter quos *Cluverius* lib. 1. c. 7. vocem illam significare transitum in urbibus ad amnes positis; Anglis enim *Dore*, Germanis *Deure*, idem ferè significare quod Græcis θύρα porta, per quam transimus. Prima hæc sententia hac conjectura firmari posset, nempe quòd cùm Apollo, id est, Sol, in Helvetia celebratus

bratus, hîc quoque coleretur, ejusque cultus, vel institutus, vel restitutus sub Heliogabalo, solis Sacerdote, cujus meminisse videtur inscriptio, fuerit; verisimile esset illam turrim soli consecratam, ex quo Solodurum nomen acceperit.

Arridet tamen aliorum sententia, qua statuitur Salodurum, à Saliensibus populis ita denominatum, quorum fuerit caput: Et sanè suprà memorata inscriptio vocat Salodorum (non Solodorum) vicum Salienſium, quorum memoriam conservare videtur *Salsach*, sive Salienſium aquæ, vicus inter Salodorum & Biennam: quinetiam regio quæ Neocomo Salodorum usque pertingit, antiquitus appellabatur *Salgevv* sive *Salengevv*, id est, Salienſium tractus aut regio. Salienses autem dextram Arulæ ripam à Bienna usque ultra Salodorum incoluisse testatur *Guillim.* pag. 375. Qualis verò fuerit Salienſium origo, non ita certum; forsan à Saliis Germaniæ populis, qui & Franci dicti sunt. *Marcell.* lib. 17. hos ita nuncupatos à Sala fluvio opinatur *Althamerus* in Tacit. Ab his legem Salicam promanasse putat *Alciatus*. Fuerunt quoque Salii Martis sacerdotes, dicti ab Hebr. סלל id est, exaltare, elevare, Merul. part. 2. lib. 4. cap. 18. de quibus Virgilius Æneid. 8.

Hîc exultantes Salios nudosq; Lupercos.

Est quoddam militum genus, quos Soldurios

rios à Gallis appellatos narrat *Cæsar.* lib. 4. bel. gal. *Horum,* inquit Cæsar, *hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruantur, quorum amicitiæ se dediderint: si quid ijs per vim accidat, aut eundem casum unà ferant, sibi mortem consciscant, neq; adhuc hominum memoriâ, repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus amicitiæ se devovisset, mori recusaret.* Quid si hoc militum genus, ex ea, in qua erat Solodurum, regione, oriundum fuisset? Sic enim Gessatæ Polybij, Helvetij quoque fuerunt, ut alibi vidimus. Quos verò esse putet Soldurios Cæsaris, *Guillim. vide pag. 114. lib. 1. &c.*

Vindonissa, Windisch.

EXtat hodie in inferiore Argovia exiguus vicus dictus *Windisch,* cujus tam paucâ vetustatis superfunt argumenta, ut olim celebrem fuisse locum vix credi posset, nisi ejus antiqui meminissent Scriptores, qui amplissimam populosissimamque civitatem fuisse testantur, sed ab Attila Rheni hoste (sic eum vocat *Sidonius Apollinaris*) ita funditus eversam, ut hodie vix vici mereatur nomen. Hujus antiqui illustrisq; loci inter alios *Antoninus* in suo itinerario, Vindonissam inter Vitodurum & Augustam Rauracûm sitam scribens, & *Cornel. Tacitus* varijs locis, meminerunt. Liber provinciarum ac urbium Gallicanarũ, *castrum*

Vindonissense, Gallorum verò vulgus *Vindonem* aut *Vendonem*, vocant.

Sita est Vindonissa ad amnem Ursam, ubi Arulam ingreditur, in territorio DD. Bernensium: *Habuitq́*, (ut ait *Rußingerus*) *magnam commoditatem à duobus illis navigabilibus fluvijs, duos trajectus sortita, ac alteram quoque Ruſæ fluvij ripam ædificijs olim complexa. Stumpf.* chron. lib. 7. p. m. 205. hanc urbem adeo amplam fuisse asserit, ut omnia circumvicina loca, ubi hodie oppidum Brucк/ castrum Altenburg/ Abbatia Königsfelden/ &c. ambitu suo complexa fuerit. Post cujus vastationē solum suburbium Brucк propter eò loci trajectus necessitatem conservatum fuisse. Maximam urbem fuisse testantur longè latèque sub terra dispersa rudera, inventa numismata, muri, collapsi omnis generis fornices, & pavimenta, &c. Malè ergo *Marlianus* Vindonissam propè Moguntiam urbem collocat. Hunc locum jam Cæsaris tempore fuisse, atque post illius incendium reparatum credibile est, à quo iterum varias passus est vastationes, donec tandem, ut jam diximus, penitus est delectus. Vindonissam olim fuisse legionum hybernaculis nobilem tradit *Tacitus* lib. 4. hist. *Hyberna subversa crematáque, ijs tantùm relictis, quæ Maguntiaci, ac Vindonissæ sita sunt.* Et paulò post, eodem lib. *Atque interim una & XX. legio, Vindonissa, Sextilius Felix, cum auxiliaribus cohortibus per Rhætiam*

tiam irrupere. Insignis quoque fuit hic locus ob victoriam adversus Alemannos à Constantio, Constantini patre reportatam, qua de re sic Panegyristes ad Constantinum de patre Constantio, loquitur. *Quid commemorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipsius vulnere gloriosam? Quid Vindonissæ campos hostium strage completos, sed adhuc ossibus opertos?* Hanc historiam, cùm hujus non sit loci, vide apud *Eutropium*, maximè verò apud *Sigonium* de imp. occident. ad an. CCXCVI. Supersunt adhuc apud Vindones quædam antiquitatis monumenta. In cœmeterio in quodã exterioris parietis tẽpli angulo, Mercurij imago adhuc ostendebatur an. 1619. quam *Guilliman* p. 23. suo tempore integram propè adhuc fuisse refert. Ibidem in cœmeterio lapis visebatur cum his literis;

CLAVDI

In eodem cœmeterio lampas effossa est cum hac inscriptione;

ATIMETI

Fuit ejus nominis Atimetus quidam civis Romanus, & Tiberij Cæsaris libertus. *P. Appian.* antiq. Rom. & *J. Lipsius.* ad ann. Taciti, referente *Rubingero.* In alicujus incolæ domo hæc Rom. inscriptio extabat.

Inter arcis Altenburgi, prope Vindonissam reliquias, hæc inscriptio inter duas saxi partes cernebatur, sicut refert *Guillim.* pag. 25. & *Rußingerus*, sed jam magis suo tempore mancam.

L. VEGNATIO.
POL. MAXIMO. DO.
FOR. COR. MIL. LEG.
XI. G. P. F. GVSORIVS (geminæ piæ felicis)
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H. S. E. (Hic situs est)
G. ROSCIVS OMPHA
LVS. HER. FAC. CVR.

Hanc *Stumpf.* supradicto loco paulò aliter refert.

Simlerus MSC. dicit, rusticum quendam hunc lapidem muro inseruisse, ita ut nunc non appareat. Sequentem inscriptionẽ apud Campum regis (Küngsfelden) ex Altemburgo allatam, cùm rusticus hortum moliturus eruisset, exscripsit *Guillim.* Habspurg lib. 2.

C. VA-

C. VALERI
VS. C. F. VOL.
CAMPANVS
VIENNA. MIL.
L. XI. G. P. F.
--OLNI--ANNO. XI,
STIP. XI. T. FE
C. COMINIVS
NEMAVSVS F.
F. C.

Reperti quoque sunt nummi apud Vindones, in quibus erant Diocletiani & Maximiani imagines. Nummi qui Diocletiani effigiem ferebant, ex una parte hanc habebant inscriptionem IMP. CE. VAL. DIOCLETIANUS. AP. AUG. ex altera parte erat Jovis effigies, cum hac circumscriptione JOVI CONSERVAT. AUG, C. In nummis Maximiani, ex una inscriptum erat IMP. MAXIMIANUS AUG. ex altera verò parte GENIO POPULI ROMANI. P. Ls. Vindonissæ etiam in regula quadrata hoc apparebat monumentum referentibus *Rußingero* & *Stumpf.* ibid.

IN ONORE SCI
MARTINI ECPI
VRSINO SEB
ESCVBVS IT DE
TIBALDVS LIN
CVLFVS FICIT.

Guilliman. Habsp. lib. 2. tres ultimas lineas paulò aliter habet.

ESCVBET (oIↃE
TIBALDVS XLIN.
ⅭVLPFVS FECIT.

Tobinium: Zoffingen.

De hoc loco non alia habeo dicenda; referam hic *Guilliman.* verba de Reb. Helv. pag. 37. *Tobinium nunc Zoffingen vocant, oppidum propè fl. Altacum vel Viggertm, cujus antiquitatem etsi nulla probent Romana, aut vetustatis insignia, tamen inde colligas non parùm dignitatis habuisse, quòd tempore jam Caroli Crassi Imp. cudendæ monetæ licentiam, authoritatemque haberet, oppidumq; esset, cùm Tigurum non nisi vicus esset, & exiguo in honore, nisi quantum monialium attulit monasterium. Id autem manifestum est ex privilegio, quod idem Carolus Abbatissæ Berthæ sorori suæ A. C. 883. dedit cudendæ Turegi monetæ, quo in privilegio usus Tobinienſis nummi expresè memoratur, recipiturque, &c.*

Pagus Tuginus.

Hunc pagum, alibi diximus, hos habuisse limites, Limagum & Ursam amnes, inter quos concluſi fuerunt *Tugini*, vel Toygeni secundùm *Strabonem*. Henrico Stephano, *Tugi*, (sic eos vocat) fuerunt vetustissimi Helve-

Helvetiorum populi, quorum præter Strabonem, *Eutropius*, *Plutarchus* in Mario, aliique meminerunt. Hi Cimbrico periêre bello, ſuique nominis in oppido Tugio (Zug) reliquerunt veſtigium, quod quidem (quamvis veterum illius meminerit nemo) unum ex XII. incenſis ab Helvetiis oppidis fuiſſe, & poſtmodum diverſis vaſtatum temporibus vult *Guillim.* De hoc nulla alia habemus antiquitatis monumenta.

In hoc pago ſuas etiam habuerunt ſedes Sylvanii, quorum maxima pars Cimbri fuerunt, qui Rumone Principe eam occupaverunt vallem, quæ Undervvaldia hodie dicitur: reliquos ſuppeditavit Roma, ex Imperatorum Auguſti, Tiberii, Caligulæ & Neronis proſcriptionibus: Unde Romana apud Sylvanios remanſerunt nomina, inter quæ præcipuus locus dicitur *Stantz*, quod ibi demum ſteriſſent, unde etiam Sylvanii omnes inferiores & ſuperiores *Stantes* nominati, & eorum regio, *vallis in Stantz* vocata fuit. *Guillim.* lib. 3. c. 3.

Haſelii (vulg. die im Haßliland) hujus pagi, quoq; fuerunt incolæ, hodie Bernenſibus parêt. De illorum origine ſic Guill. p. 330. *Haſelij ex Friſia orientali, & urbe Haſſelinga, quæ in Weſtphalia, aut potiùs Haſſel, oppido ad Vidrum fl. finibus Friſiæ occidentalis, provincia Tranſiſulana, Haſeliam de ſe vallem Reſtio ductore conſtituerunt.*

Fuit hic pagus reliquis, saltem quoad oppida, minùs illustris; regionem enim non ita fœcundam, maximamque partem inter montes sitam, occupavit. Pauca sunt in hoc pago loca, quæ, quantum sciri potest, antiquitatem sapiant, si solas *Aquas Helveticas* excipias, quas *Rhenan.* lib. 3. *Castellum thermarum*, Glareanus verò *Thermopolin* appellant, vulgò Baden/ ubi adhuc Romana visuntur monumenta. Anno Domini centesimo, quo imperium iniit Trajanus, marmorea apud Aquarum castellum, columna illi cum hac inscriptione erecta est. Hanc sic refert *Guilliman.* pag. 159. Et *Stumpf.* chron. lib. 4. cap. 21.

IMP. CAESARI.
DIVI. NERVAE. F.
NERVAE TRAIA
NO. AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II. P.P. DES.
III. M. P. LXXXV.

Paulò aliter *Rußingerus*, sed non ita bene.

IMP. CAESARI DIVI
NERVAE F. NERVAE
TRAIANO AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II. P.P.
DES. III. M. P. LXXXV.

Hanc columnam in suburbanis oppidi Aquensis agris repertam, Ægidius Tschudi Glaronensis, tum ejus Comitatus præfectus in

in arcem transtulit, & ante arcis pontem collocavit. An. 1534. *Guillim.* pag. 160. Et *Stumpf.* ibid. In istius oppidi templo, ad latus sinistrum ingrediendo, quondam saxum, cum inscriptione Antonino, Caracellæ cognominato facta, situm fuit, ut refert *Simler.* M S C.

M. AVRELIO. ANTONINO. CAES.
IMP. DESIGNATO. M. L. SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS AVG. FILIO RESP.
AQV.

Fuit & reperta dedicatio Deo invicto facta, in saxo quadrato, ab Ulldarico Comite à Monte forti Tetnacum translato, anno 1564. quod aræ forma cum his literis cernebatur, ut habet *Guillim.* pag. 124.

DEO INVICTO
TIB. CASSIVS
SANCTVS
ET TIB. SANCTE
IVS VALENS
L.

Hujus loci meminit *Tacitus* lib. 1. hist. dum ait. *Irritaverant turbidum ingenium Helvetij Gallica gens, olim armis virisque mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellij imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio undevicesimæ legionis: rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetij suis militibus ac stipendiis tuebantur. Ægrè id passi Helvetij, interceptis epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quosdam*

dam militum in custodia retinebant. Cæcinna belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pæniteret, ultum ibat. Mota properè castra: vastati agri. Direptus longa pace in modum municipij extructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens. Helvetij propter vastatos agros, vicum Thermarum direptum, commoti in Cæcinam & Vitellium, lecto Claudio Severo duce statuerant legioni resistere. Sed cùm cogitarent exitiosum adversùs veteranos esse prælium, & intutam obsidionem castelli dilapsis vetustate mœnibus, non ausi tentare fortunam, arma abjecerunt inter Cæcinæ exercitum & Rhæticas cohortes in medio vagabundi. Ex his Taciti verbis colligere est. 1. Celebrem, ob loci amœnitatem, & thermarum commoditatem fuisse locum, quem jam Cæsaris tempore extitisse credibile est. 2. Helvetios in hoc aquarum castello præsidium habuisse, tum quòd locus esset adversùs Germanos munitus & resistendo opportunus, tũ quòd, ut ait *Cluverius*, huc ad consilia venerint Helvetii, & hic suas archivas habuerint. 3. Vicum fuisse insignem, qui in municipium excrevisset, tempore pacis quæ à Julio Cæsare ad Vitellium usque duraverat, tum enim & direptus thermarum vicus, & aquarum castellum, locus tamen postea restitutus, ut ex inscriptione supra memorata, & Antonino Caracallæ Severi filio facta constat, ubi Reipub. Aquensis fit mentio.

Memi-

Meminit cujusdam inscriptionis ad ædem sacram Gebesdorfi non longè ab oppido Baden, vici, *Guillim.* Habsp. lib. 2. quam sic refert.

M. MAGIUS. M. F. PO. MA
CRIUS. VERONA. MIL. LEG. XI. G. P. F.
MARCI. MODESTI. ANNO. XXXIII.
EX TESTAMENTO. H. F. C.
LENNIUS SECUNDUS
Q. ROMANUS VERECUNDUS,
H. S. E.

Bremgarten.

OPpidum est ad Ursam fluvium, ita dictum, ut vult Guillimannus pag. 99. *quasi prima Guardia à statione Romanorum decem scil: millibus passuum supra Vindonissam. Nam si loci situm, firmitudinem, ubertatem, amœnitatem spectes, nullum dubium erit, quin Romano cultu fuerit paratum. Illud flumen Ursa, ut circino circumductum, penè totum cingit, assurgente sensim eo in colliculum, qui quà planitiem ducit, fossa clauditur & præcipitio.*

Lucerna.

LUcernam admodum antiquam vult *Tschudus:* Nasium olim vocatam refert *Volaterran.* lib. 7. Luceriam vocandam censet *Osval-*

Oſwaldus Molitor Lucerinus. Non oppidum quidem, ſed aliquem antiquum locum fuiſſe crediderim, cùm nomen latinam linguam ſapiat. *Meyerus* Lacocernam, alij ſimpliciter Lucernam vocant, quòd illic olim in navigantium uſum, noctu lucerna apponeretur, cui rei veruſta illa turris ad ſuperiorem pontem, inſervierit: Pharos hujus generis turres dixerunt. vid. *Siml.* lib. 1. Reip. & *Guillim.* pag. 335. Et maximè *Stumpf.* chron. lib. 7. cap. 7.

Literæ fundationis monaſterij Lucernenſis, hanc urbem vocant locum, qui Lucerna ex antiquitate dictus fuerit. *Munſt. lib. 3. Stumpf. dicto loco.*

Præcipui hujus pagi incolæ Tugini dicti ſunt. Habitarunt & hîc alij populi, quibuſcum illi ante bellum Cimbricum fuerunt; aut etiam poſt illud novi hoſpites in hoc pago ſuas fixerunt ſedes. *Uranios* Tauriſcorum reliquias eſſe plerique crediderunt. De Tauriſcorum autem origine non idem omnes ſentiunt. Arbitrantur quidam, Tauriſcos Phocæorum fuiſſe colonos, qui relicta Aſia in Galliam Tauro navi (unde Tauriſcorum nomen) appulerunt, & Maſſiliam, Tauroentium Ptolomæo & Strabone authoribus, condiderunt, poſtmodum mutatis iterum ſedibus, eum Helvetiæ tractum, qui inter Urſam Rhenumq; eſt, occuparunt. Vidé fuſiùs apud

Guillim.

Guillim. lib. 3. cap. 1. *Marcellin.* verò lib. 15. de Tauriſco Galliæ tyranno ab Hercule interfecto loquens, innuere videtur, Tauriſcos ab hoc tyranno nomen accepiſſe, ſed hoc fabulam ſapit. De Tauriſcis ſic Stephanus. *Tauriſci populi prope vel circum Alpes, dicuntur & Taureni Polybio. Eratoſtenes Teriſcos ipſos vocat, per e. Hi etiam Trojani dicuntur.* Sed unde dicti fuerint, cap. XVII. diximus.

Suitiam qui coluerunt, non minùs quàm Uranienſes Tauriſcos fuiſſe credit *Guillim.* lib. 3. cap. 2. ſed poſtea Cimbrorum reliquias ea inſediſſe loca. Fuerunt autem Cimbri Cimbricæ Cherſoneſi populi, qui nunc Sueci dicuntur. Referunt Suitij majores ſuos ob Oceani inundationes, ſedes mutare coactos has occupaſſe valles. vide *Flor.* lib. 3. cap. 3. Et *Plinium* lib. 16. cap. 1. Alias quaſdam circa hoc nomen ſententias cap. XVI. vidimus. Solùm hoc addimus, Suitios forſan dictos à Suitonibus, quos *Tacitus* Aquilonarem Sueviæ gentem facit. Vel à Sueſsijs Germaniæ populis, de quibus ſic *Marlianus. Sueſſij Populi Germaniæ, quos conjectare licet fuiſſe Conſtantienſi, Baſilienſi ac Sedunenſi agro finitimos, & inter Celtas Helvetioſq; annumerari, ſive fortè Suitenſes eſſe, qui cum Turicenſibus quondam Helvetijs noſtrâ memoriâ bella geſſere: Vel Sueſſij, id eſt, Suevi: Nam tùm ſingulis annis domo, Suevorum media pars excederet, fortè diverſas ad habitandum regiones ſibi delegerunt,*

ex

ex quibus forsan sunt illi maritimi, qui Daniæ & Norvegiæ sunt finitimi, ac qui circa Lepontios Rhætosq; habitant, &c.

Glaronenses quoque sub hoc pago fuerunt. Hos Suanetes, aut Suanetas, de quibus *Plin.* lib. 3. cap. 20. credit *Guillim.* Rer. Helv. lib. 3. cap. 6. non solùm quia inter Alpinos populos ponuntur, sed etiam quia in ejus regionis medio est præcipuus locus, *Suanda*, dictus. Quoniam verò & à Plinio & à Ptolomæo juxta Reguscos collocantur, credidit *Simlerus* de Alp. fortè fuisse Algovios & Suevos qui interiores à lacu Brigantino campos habitant. Alij adhuc opinati sunt, *Suanetes* dictos quasi Sarunetes, fl. Sar accolæ, hodie comitatus Sarunegaunensis, de his inter Rhætiæ populos.

Pagus Tigurinus.

TIgurinos vetustissimos fuisse Helvetiæ populos dubium non est: Eorum enim antiquissima fit mentio apud *Cæsar.* lib. 1. *Strabon.* lib. 7. *Florum* lib. 3. cap. 3. *Orosium* lib. 5. cap. 16. *Plutarchum* in vita Marij, &c. Hi fortissimi populi, Cimbrorum in Italica expeditione fuerunt socij: Horum virtutem expertus est Lucius Cassius: Tandem à Cæsare Galliarum domitore circumventi in bello Helvetio ad Ararim fl. cæduntur. Sed quod magis

magis consideratione meretur, antiquitatis suæ memoriam, nec non virtutis laudem, adhuc hodie conservant, ita ut primas inter Helvetios teneant. Quosnam verò limites habuerit hic pagus, cap. 3. visum. Fuit dubio procul hic pagus duobus præcedenribus, sive in agrorum bonitate & amœnitate, sive in populorum & oppidorum frequentia, sivè in regionis amplitudine, superior & illustrior. Nos de istius celebrioribus & antiquioribus locis brevirer agemus, quantum saltem eorum antiquitas nobis innotescere potuit.

Tigurum:

QUamvis in hac illustri urbe nulla hodie extent (saltem quod sciam) Romanarum antiquitatum monumenta; antiquissimam tamen esse credimus, eamque Tigurinorum populorum, à quibus denominatam censemus, caput fuisse verisimile est. De illius tamen origine non idem omnes sentiunt. Fingunt Vaudi chronica, hanc urbem conditam & denominatam, à quodam Tiguro, Helvetiæ rege; fabulantur, alij Thuricum regem Arelatensem urbem minotem condidisse Abrahami tempore, majorem verò Suevum alium regem: unde Duregum, quasi duorum regum opus, dictum sit. *Simler.* MSC. *Guillim.*

lib. 3. cap. 5. referentibus. Tradunt annales domestici, sedecim annis post Trevirorum urbem conditam esse. Treviros autem Trebetam Nini filium Abrahami Patriarchæ temporibus condidisse. *Marian. Scotus* in chron. memoriæ prodidit; teste *Siml.* lib. 1. Reipub. Helv. Quidquid sit, illius antiquitatem agnoscimus, etsi ejusdem originem ignoremus. Fuit sine dubio unum ex XII. Helvetiorum oppidis, quod Cæsaris tempore combustum, postmodum reparatum fuerit: cùm verò, varias passa sit, à Cæsaris temporibus, vastationes Helvetia, ab iis non immune fuit Tigurum. Sic memorabilis fuit Diocletiani & Maximiani Imperatorum tempore Alemannorum in Helvetiam expeditio; multas enim urbes funditùs everterunt, & quædam Romanorum castella, inter quæ Tigurum & Vitudurum, destruxerunt, ac ipsorum mœnia diripuerunt: unde inter Tiguri conditores, aut potiùs restauratores, creditur Diocletianus; qui post reportatam de Alemannis per Maximianum Herculeum victoriam, restaurandum curavit castrum Tigurinum, in quo circa A. C. 296. martyrio affecti sunt Felix, Regula & Exsuperantius. Iterum adhuc ab Attila eversum Tigurum, à Thurico, Theodorici Gotthorum regis ab Attila in campis Catalaunicis cæsi, filio, reparatum conjicit *Siml.* MS C. Antiquum istius oppidi nomen fuisse

Tigu-

Tigurum, mihi dubium non est, posterioribus seculis immutatum & inflexum, imò corruptum crediderim: quidam enim *Thuricum* aut *Thauricum* à Tauriscis; Alii *Thùricum* vel *Thurègum* Tigurinorum, *Tugurum*, *Tauregum*, & *Thuricinium* nominarunt. Imò quidam & *Terregum*, quasi Terrorem Regum dixerunt. *Stumpf. chron. lib. 6. cap. 12.*

Tigurum rectiùs dictum Turigum, ut inferioris seculi appellatur authoribus, credit *Cluverius* lib. 2. cap. 4. Sicut Germani ex voce Tabern fecerunt Zabern, ità ex voce Turegum, Zuregum aut Zurich. *Munst.* lib. 3. vel ex *Thuricum*, Thůrich vel Zůrich. Vide *Stumpf. chron. lib. 6. cap. 11. 12. &c. Sabellicus* Enn. 6. lib. 5. Suriciam vocavit; *Nauclerus* verò Duricenses dixit pro Thuricenses. Malè Suricum distinguit à Turego *Marlianus*. Hîc addere placet, quæ de Tiguro habet, status Romano-Germanici descriptor; *Tigurum, urbs libera Helvetiæ primaria, & vetustate antiquissima à Tigurinis nomen adepta est. Hi cum Tuginis quartum Helvetiæ pagum tenebant, & unà cum Cimbris in Italiam infusi, multum damni ei dederunt. Ex quo liquet, ante Christum natum Tigurinos Alpium tumulos Noricos insedisse, & Helvetiam incoluisse. Appellatur eadem à nonnullis Turigium & Turregum in Ducatu Alemannico, in pago Turgauensi. In monumentis vetustissimis extat posterius nomen in versu, qui cuidam portæ urbis inscriptus est:*

NOBILE TURREGUM MULTARUM COPIÁ RERUM.

Germanicè Zürich/ *mutatione literarum non magna. Sita est ad exitum lacus magni, & dividitur ab amne Limago, in civitates duas, majorem & minorem, quæ tribus pontibus junguntur valdè amœnis. Exusta est cum aliis urbibus, cùm in Galliam profecti sunt cives cum Rauracis, Tulingis, & Latobrigibus, ut sedem magis opimam & fertilem quærerent. Idcirco ne quis in fuga subsidium sibi relictum putaret, & domum redire posset, omnes urbes, oppidaq; sua incenderunt. Nihilominus tamen à Julio Cæsare fusi, & fugati, in pristinam sedem redire coacti sunt, & urbem suam de integro adornarunt. Imperante Constantio Chloro à Germanis destructa est hæc urbs: à Diocletiano autem reparata, amplificata, ac muris, turribus, fossisque munita magis. Subdita fuit Romanis annis circiter 500. usque ad Valentiniani 3. imperium. Postea ab Alemannis & Francis Orientalibus Rhenum trajicientibus, unà cum Gallia Belgica & Helvetia, penitus vastata est,* &c. Plura vide apud prædict. *Stumpf.* chron. lib. 6. cap. 11. 12. &c.

Vettinga.

HUnc vicum ad Limagum situm, infra Tigurum, non longè à Thermis Helveticis, vel antiquum, vel inscriptionem, ejus

anti-

antiquitatis indicem, aliunde translatam, esse credimus: extat enim lapis antiquus insculptus cum hac inscriptione, quæ in templo visebatur, Isidi Deæ dedicato: quam sic referunt *Guillim.* pag. 125. & *Stumpf.* chron. lib. 6. cap. 23.

DEAE ISIDI. TEMPLVM. A. SOLO. Stumpf.
T. ANVSIVS. MAGIANVS. Annusius
DE. SVO. POSVIT. VIA. AQVENSIS. Vir Aguensis
AD. CVIVS. TEMPLI. ORNAMENTA.
ALPINIA. ALPINVLA. CONIVNX.
ET PEREGRINA. FIL. DEDE-
RVNT. L---D---D---VICANORVM.

Sic verò eam habet *Rußingerus.*

DEAE ISIDI TEMPLVM A SOLO
L. ANNVSIVS MAGIANVS
DE SVO POSVIT VIR AQVENSIS
AD CVIVS TEMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINVLA CONIVNX
FIL. XC DEDERVNT
L. D. D. VICANORVM.

Forum Tiberij. Zurzach.

ANtiquum fuisse locum ex Ptolomæo, qui hujus meminit, constat, quinam verò hodie sit ille locus, diversum sentiunt Authores. Forum Tiberii, Suntia, *Volater.* lib. 7. *Cluver.* lib. 2. cap. 4. credit esse oppidulum nominatum Germ. Reyserstul in præfectura Badensi, non longè à Rheno. *Glareanus* nominat

hoc oppidum *Solium Cæsaris*: Rhenanus & alii Tribunal aut prætorium Cæsaris; quia ut credit *Guillim.* Tiberius adversus Rhætos & Vindelicos bellum gerens, suis militibus, viciniſque regionibus, hoc in loco jus redderet. Alii rectiùs volunt Forum Tiberij esse vicum nomine *Zurzacum*, *Stumpf. chron. lib. 6. cap. 5. & alij.* Tertia sententia est eorum, qui credunt locum illum prorsus interiisse, ejusque nulla hodie extare vestigia, ex cujus ruinis Zurzacum excreverit, atque nundinæ quæ antea apud Forum Tiberii, nunc Zurzacum translatæ fuerint, ubi bis in anno, maximo Helvetiorum, Germanorum, Gallorum & Italorum concursu peraguntur. Quidquid sit vicus hic hodie ingens ad Rhenum fl. oppidi in morem excultus, antiquus est, & olim nominatus *Certiacum*, à quodam M. IVNIO CERTO milite Romano (ut ait *Simler.* lib. 2. vel Viennensi, secundùm *Guillim.* pag. 35.) qui fortè in illo antiquo oppido aliquo munere defungebatur, cujusque memoriam ejus hæredes in hac conservarunt inscriptione, quæ adhuc anno 1535. legebatur sic referente *Guillimanno.*

M. JUNIO. M. F. VOLT. CERTO.
DOM. VIEN. VETERAN.
MIL. LEG. XIII. GEMINAE.
CERTUS. ET. AMIANTUS.
PII. HAEREDES. FECERUNT.

Credit

Credit idem *Guillimannus* antiquitus vocatum Certiacum, *aquas duras*, ACH enim in voce Zurzach/ significat, aquam. Observat tamen *Dan. Eremita*, ach, Celticâ linguâ denotare agrum.

Confluentia. Coblentz.

DE hoc loco sic *Guillim.* pag. 97. *Vicus est, eo ubi Arula Rheno conjungitur loco, nonen Romanum. Ipsi talia vocabula indere soliti, ubi fluminum confluxus, corruptè Cobolens (aut* Coblentz*) ita in Germania secunda, oppidum ea de causa, nominatum, ubi se Mosella in Rhenum præcipitat. Hîc contra Harcinios credibile est Romanos stationem habuisse, nam è regione altera, sive dextra ripa oppidum* Waldshut/ *sive custodia sylvæ, in loco satis munito & edito, sæpe enim Alemanni ex Harcinia in Romanos hac, aut illa ripa per insidias irrumpebant, quâ ratione factum, ut ubiq; vigilias agitarent, &c.*

Rupertisvilla. Rapperswyl.

RUpertivilla, vel Rapersuilla, oppidum est inter utrumque lacum superiorem & inferiorem Tigurinum, in prominente cornu, ad instar peninsulæ conditum, loco amœno, formaq; eleganti. Hujus loci antiquitatem arguere videtur loci opportunitas, maximè

verò eam colligit *Guillim.* ex lapide in aræ ſpeciem formato qui nunc *Jonæ* in proximo vico oſtenditur, pone templi oſtium, cum his paucis literis.

C. OCT. PROVIN.
S. (ſtatuit)
L. D. D. D. (locus datus decreto Decurionum)

Dicitur autem hodie Raperſvvyl, quaſi Rupertis villa, à quodam Ruperto militiæ, ſub Ludovico Rege, Duce qui amœnitate loci delectatus, arcem ædificavit, ut ait *Guillim.* pag. 37. obſervat *Dan. Eremita,* in ſuis notis, Wei. aut Wyl habitationem ſignificare, ut in Raperſvveil, Halvveil, &c. Manet & hodie vocabulum, ſed moram denotat; quod latinis idem cum habitatione eſt: Hinc Gallicum *Ville,* non à *Villa* latino, ut vulgus nugatur, & tot nomina ex eo compoſita, *Theonville, Neufville, &c.*

Vitodurum. Winterthur.

HUjus antiqua mentio apud Antoninum, in cujus exemplaribus variat lectio; quidam enim legunt Vitudurum, alij *Vitudorum, Vitidurum,* aut *Vitodurum.* Crediderunt nonnulli Vitodurum fuiſſe Conſtantiam, ſed hos refutant *Guillim.* pag. 26. & *Cluver.* lib. 2. cap. 4. Et *Stumpf.* chron. lib. 5. cap. 10. Iſius nomi-

nominis vestigium manifestè satis apparet in oppido hodierno Winterthur, ad fl. Eulach sito, in ditione Tigurinorum. Volunt autem quidam Vuinterthur vel Wintherdur à *Duro*, seu *Thur* fl. nomen habere. Hujus oppidi antiquitatem petit *Guillim.* à Iulii Cæsaris temporibus, dum unum ex XII. Helvetiorum oppidis fuisse statuit, quod post eorum reditum reparatum fuerit. Diocletiani & Maximiani tempore Romanorum erat castellum, sed ab Alemannis cum multis aliis eversum: Hoc Constantius & Galerius, Diocletiani & Maximiani in imperio successores, instaurandum curarunt per Aurelium Proculum in Helvetia Procuratorem: ejus rei testimonio est vetus lapis Constantiæ, cum hac inscriptione, quæ adhuc legebatur interiùs in S. Blasij capella, anno 1520. & à *Guillimanno* pag. 26. & *Stumpf.* dicto loco sic refertur.

IMP. CAES. G. AVRE. VAL. DIOCLETIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR. MAX. FERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. X. COS. V. P. P. ET. IMP. CAES. M. AVR. VAL. MAXSIIMIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. IX. COS. IIII. P. P. ET. IMPP. FL. VAL. CONSTANTIVS. ET. GAL. VAL. MAXIMIANVS. FILII. CAESS. MVRVM VITVDVREN A. SOLO. INSTAVARRVNT. CVRANTE. AVRELIO. PLOCVLO. V. C. PR. PROV. MAX. SEQ.

Rusingerus paulò aliter eam refert.

IMP. CAES. M. AVREL. VAL.
DIOCLETIAN. SAR. MAX.
PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP.
IMP. CAES. M. AVR. VAL. MAXI
MIAN. MAX. PERS. MAX.
TRIB. POT. X. IMP. VIIII. COS.
M. VAL. CONSTANTIVS. ET.
GAL. VAL. M. CAESS.
MVRVM VITVDVRENSEM.
A. S. CVR. AVRELIO
PROCVLO. V. C. PR.

Arbor felix. Arbon.

VEteris hujus oppidi ad lacum Acromum siti, in suo itinerario meminit *Antoninus*. *Ammianus* Gratiani ex Helvetia in Pannoniam iter describens, mentionem facit in hoc præsidii Romani. *Dispositis*, inquit, *quæ pro temporum captu, per Gallicas res, nationesque poscebant, Gratianus exinde digressus per castra, quibus arboris felicis nomen est, &c.* Liber notitiarum ostendit, in eo fuisse Tribunum cohortis Herculiæ ex Pannonia. Quidam hoc oppidum ita ex Constantij, Constantini filij, contra Alemannos victoria dictum putant, sed antiquum magis est. Præstat hîc *Munsterij* sententia, quâ credit hunc locum, *arborem felicem*, dictum ob maximam soli fertilitatem. Vetus nomen ex parte manet in hodierno *Arbon*. Walafridus & Rapertus *Arbonam* vocant, & vicinam regionem, *pagum Arbonensem*. Arbonam, cum arce

arce antiquissima, Divi Galli morte nobilitatam ait *Vadianus* in Mel. lib. 3. *Plura vide apud Stumpf. chron. lib. 5. cap. 9.*

Steina. Stein.

ASserit *Guillimannus* hoc oppidum, ad Rheni ex lacu Cellensi egressum, non longè situm, ex ruinis *Burgi*, antiquitus Romani præsidii, sed ab Alemannis vastati, in altera Rheni ripa ædificatum fuisse Romana apparent monimenta, & ingentes murorum ruinæ, per totum ejus collis, ubi *Burgum* fuerat, circuitum, usque ad vicum *Eschentz*, in cuius templo, & castri antiqui ruderibus hæc mutilata cernebatur inscriptio, Cajo Cæsari facta, quam sic refert *Guillim.* p. 95.

IMP. CAES. CAIVS. PONT.
MAX. TRIB. P.P----
---P.P. PROC.----
----- ND -----S.
------- SC ----

Stumpfius verò chron. lib. 5. cap. 14. hic refert.

IMP. CAES. CAIVS ---
MAX. III. TRIB. P.P. ---
- - - - - - - - - - - - - - A -
--- DPP. PROC - - -
- - - - - - - - - - - - M
- - - - - - - - - - - SC -
- - - - - - - DE - - - -

Rino-

Rinovium. Rhynaw.

PErvetus oppidum *Simlero* lib. 2. videtur Rinovium, quamvis hodie ædificiis parùm excultum sit: eò loci quondam castra adversus Alemannos habuisse creduntur Romani. Ossium tumuli & numismata ex agris effossa loci celebritatem & antiquitatem indicant, videatur *Guillim.* p. 96.

Sunt sine dubio in hoc pago alia antiqua loca, de quibus tamen nihil aliud habeo dicendum, præter hæc paucula.

Est locus in Turgovia dictus hodie *Pfin*, cujus meminit Antoninus eum nominans *ad Fines*, distat locus ab *arbore felice* XX. m. p. & à Vindonissa XXX. m. p. fortè ita nominatus, quòd Rhæti eò usque fines suos extenderint.

In præfectura Sarunegaunensi, ad lacum Rivarium est oppidulum, vulgò vocatum *Walenstad*, quasi Italorum oppidum aut statio (Walen enim Germanorum multi Italos nominant, teste *Guillimanno* pag. 148.) quòd vel ibi adversus Rhætorum irruptiones ibi custodias collocarit Tiberius, vel Rhæti ipsi ijs locis aut deducti, aut prædabundi stationes cœperint. Unde etiam in eadem regione est

Gaste-

Gasteren, latinè castra Rhætica, quod ostendit Rhætos quandoque in Helvetiorum fines irrupisse. *Reliqua vide apud Stumpfium chron. Helv. lib. 4. & seqq.*

Atque hæc de quatuor Helvetiæ pagorum celebrioribus & antiquioribus locis breviter pro tenui nostro modulo, & quantùm scire potuimus, dicta sunto, aliàs fortè plura dicturi, ubi plura edocti fuerimus.

REVE-

REVERENDO

Illustrissimoque Principi

Ac Domino,

VIBERORUM, SEDUNORUM,
VERAGRORUMQUE

PRÆSULI,

TOTIUS VALLESIÆ COMITI
AC PRÆFECTO,

Nec non

VENERABILI, SPECTATISSIMOQUE
DOMINO,

ANTIQUI AC CELEBERRIMI
APUD AGAUNENSES,

COENOBII

ABBATI DIGNISSIMO

HANC DE HELVETIÆ FINITIMIS
POPULIS ET LOCIS DESCRIPTIONEN D. D. C.

Joh. Bap. Plantinus.

DE HELVETIÆ FINITIMIS populis & locis.

HActenus de Helvetijs vetuſtiſſimis populis, & antiquioribus Helvetiæ locis verba fecimus. Non injucundum erit, nec inutile aliquid de populis Helvetiæ finitimis, & celebrioribus quibusdam locis dicere. Cæſar lib. 1. Bell. Gall. *de illa memorabili Helvetiorum in Gallias expeditone loquens, mentionem facit: Primò Helvetiorum tanquam præcipuorum tum belli Authorum, tum regionis incolarum. Deinde Tulingorum, Latobrigorum, Bojorum & Rauracorum. De Helvetijs jam diſſerimus. De Boijs non eſt quod multis agamus, cùm extra Helvetiæ fines in agro Norico fuerint poſiti, dubio procul aut Helvetijs fœderati aut ſubjecti.* De alijs ordine.

De Tulingis.

TUlingos Helvetijs finitimos ſcripſit Cæſar, verùm quam occuparint regionem, non eadem eſt omnium ſententia. I. *Marlianus* populos inter Celtas non longè ab Allobrogibus eſſe aſſerit. II. Alijs fuerunt incolæ Turegi oppidi, nunc inter Helvetios ſiti. III. Crediderunt non pauci eos incoluiſſe oppidum hodiè nominatum *Thoul*, in Lotharingia. *Sabellic.* Enn. 6. lib. 5. *Tulingi qui poſtea Lotharingi.* IV. Crediderunt nonnulli Tulingos

lingos trans Rhenum in Suevia fuisse: Videntur Tulingi, *Simlero* M S C. authore propè Hercyniam sylvam in Eremo Helveria habitasse, fortè tum Helveriorum imperio subjecti, aut cum illis fœdere conjuncti; Nominis vestigia duobus locis mansisse credit, I. In *Stilinga* arce & oppidulo ad Harcyniæ sylvæ caput. II. In *Tutelingâ* vico ad Danubium: Ista duo loca Tulingorum fuisse conijcit Simlerus, cùm non longè distent. Sed hæ omnes sententiæ varijs gravantur incommodis: Prima, cùm nihil certi ac determinati dicat, eadem facilitate reijcitur, quâ profertur. Altera nullo fulcitur fundamento, & Cæsari repugnat, qui Tigurinos à Tulingis manifestè distinguit. Tertia ob nimiam locorum distantiam, refutatione indigna, & jam pridem apud Doctos exulat: Lotharingia enim à Lothario, Ludovici Pii filio nomen accepit, teste Platina in vita Sergij 2. Papæ. Quarta verisimilior est, vix tamen consistere potest. Cæsar enim clarè satis Helvetios à Transrhenanis distinguit, inter quos quotidiana erant bella & Tulingos Helveriorum vicinos facit: dixit quidem Cæsar, Bojos trans Rhenum incoluisse, quare ergo reticuisset; si Tulingi trans Rhenum habitassent? Propterea *Cluverius* eos propè Rhenorum confluentes fuisse, inter Rhætos scilicet & lacum Brigantinum credit: Hæc opinio probabilis

est,

est, ut & ea quâ conijcitur fuisse amnis Tauri (Thur) accolas, quos nunc Turgovios vocant.

De Latobrigis.

LAtobrigi, aut Latobrigii, *juxta Orosium lib. 6. cap. 7.* Helvetiorum fuerunt finitimi inter Celtas non longè ab Allobrogibus, quos Lausannenses fuisse conjectura est, ut air *Marlianus*, *Tschudus* & post eum *Guillimannus*, Cloetgoviæ intra Rhenum & Hercyniam sylvam, incolas fuisse, quorum Scaphusia fuerit caput, credunt. *Simlero* MSC. corruptum videtur vocabulum ex Altemburg, vico ex adverso Rinovij oppiduli ad Rhenum. *Rhellicanus* hanc vocem vertit Wallisserland / unde conjecit (ut credo) *Cluverius* lib. 2. cap. 7. Latobrigos superiorem Vallesiæ partem habitasse, cujus rei extet vestigium in vico *Briga*. Sed hæc conjectura variis urgeri potest incommodis, præcipuè verò his. 1. Cæsar loquens de Vallesiæ populis & de ipsorum gestis, mentionem quidem de Veragris & Sedunis facit, Latobrigorum non item. 2. Qua ratione tot populi in ram angusto contineri spatio potuissent? 3. Non ita Helvetiorum sunt & finitimi, à quibus montibus alris & ferè imperviis separantur, qui Brigensem tractum incolunt. 4. Non verisimile est Latobrigos, si in illo tractu suas habuissent sedes, patriam suam deserturos fuisse relictis vicinis Sedunis, qui

Helvetici belli tempore pacati fuerunt, quiq; postea cum Veragris domiti, ut colligere est *ex lib. 3. bell. Gall.* Scrutari autem & certò scire, quamnam regionem incoluerint Latobrigi, difficile admodum est, cùm Cæsar nihil aliud quàm nomen referat, & altum apud veteres alios historicos & Geographos sit silentium. Quòd si conjecturis detur locus, probabilius esset *Latobrigos*, seu *Lacobrigos* (ut pronuntiant, *Glareanus, Tschudus* & *Guilliman.*) lacus Brigantini, prope Rheni ingressum, & vicinorum locorum accolas constituere, unde nominis aliquid manserit in antiquo Brigantio; sic Lacobrigi fuerint, qui postea *Straboni* lib. 4. Brigantii. Aliàs infirma sæpè est, quæ à nominum similitudine petitur, conjectura: sic enim *Plinius* & Antoninus mentionem faciunt *Lacobricæ*, aut secundùm Ptolomæum *Lacobrigæ*, sed quid hoc ad Latobrigos Cæsaris, cùm oppidum illud Plini, Antonini & Ptolomæi fuerit Burgos in Hispania, *Cluverij* saltem judicio.

De Rauracis.

RAuraci, qui & *Raurici*, & *Rauriaci* dicti sunt, ut ex veteribus inscriptionibus, & authoribus patet; populi fuerunt in Rheni ripa inter Helvetios & Sequanos. Horum faciunt mentionem *Cæsar* lib. 1. *Plinius* lib. 4. cap. 12. & 17. &c. *Solinus* cap. 23. eos Galliæ facit

facit populos, sic enim ille. *Ister Germanicis jugis oritur, effusus monte qui in Rauracos Galliæ spectat.* Hos Basileenses fuisse communis est sententia. Germani, qui suam linguam reliquis antiquiorem & præstantiorem autumant, istius nominis originem trahunt à *Rhuc* & *Rachen*, id est, angustiæ & fauces, quoniam supra Basileam montes propè Rhenum fermè conjunguntur, & fauces, per quas Rhenus effluit, efficiunt, ut annotant *Munsterus*, *Vigenereus*, & *alij*. Rauracorum gentem vetustissimam quidem, exiguam tamen ex illorum numero, ostendit Cæsar. Refert quoque *Cluverius* Plinii tempore unum tantùm habuisse oppidum; nullius enim alius loci meminit nisi coloniæ Rauracæ.

De Augusta Rauracorum.

HIc locus sine dubio antiquissimis temporibus florentissimus, totius gentis fuit caput; cujus tamen hodie perexiguum, in viculo supra Basileam nominato *Augst*. supereest vestigium, vocabatur verò Augusta Rauracorum aut Rauricorum; *Plinio* lib. 4. cap. 7. colonia Rauriaca, in veteri inscriptione Raurica. *Onuphrius Panninus* lib. 3. comment. inter septem Galliæ Belgicæ colonias, numerat *Augustam Rauracorum*. Ira autem denominata est in honorem Augusti, sub cujus imperio colonia illuc deducta est, ut militibus pecuniæ & agri darentur, atque hæc Galliæ pars tu-

tum adversùs Germanos haberet præsidium. Coloniæ illius ductor fuit Lucius Munatius Plancus, qui secundo imperij Augusti anno, quadraginta annis ante Christum; ut vult *Cluverius* lib. 2. cap. 5. consul fuit, sed priùs Ciceronis discipulus, & Censor; hunctamen inconstantiæ, aliorumque criminum arguit in sua historia *Velleius*. De isto Planco sic habet inscriptio, quæ cernebatur Cajetæ in regno Neapolitano.

L. MVNATIVS. L. F. L. N L. PRONEP. PLANCVS. COS. CENS. IMP. VII. VIR. EPVL. TRIVMPH. EX RHAETIS. AEDEM SATVRNI FECIT DE MANVBIIS AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI IN GALLIA COLONIAS LVGDVNVM ET RAVRICAM.

Tandem hæc urbs ab Alemannis eversa est, imò jam eam Iuliani tempore destructam fuisse ex *Eunapio Sardiano* constat, hanc à Valentiniano reparatam vult *Guilliman*. sed in castrum; unde non civitas, sed castrum Rauracense, in *libro Provinc.* nominatur. Tandem ab Attila funditus eversa est Augusta, à quo tempore non ampliùs restaurata fuit. Mirum autem videri non debet, pauca ejusmodi veterum oppidorum vestigia remansisse, quod ut observant *Munster*. lib. 1. & *Guilliman*. pag. 35. paucas domos ex saxis & lapidibus construerent antiqui, solùm mœnia, turres,

&

& munimenta, ea ex materia ducerent, ædes privatas ex cratibus & limo, vel simpliciter ex ligno compingerent, unde ex varijs antiquitatis Augustæ monumentis pauca hodie habemus. Iuxta Liechstallum subterraneārum ruinarum vestigia adhuc apparent. Repertus quoque fuit Augustæ anno 1565. teste *Simlero* MSC. lapis vetus quinque pedum altitudine, latitudine verò duorum, cum hac inscriptione.

III TONIS
OM VIII F.
OCCISSI IN
VOCRVLLO
VISVRIX
T. MALER P. C.

Sed hunc lapidem nunc habet Comes Monfortius.

Ex Augustæ porrò ruinis jam ante Attilæ tempora, Basilea suam traxerat originem, de qua tamen variant authores, vult *Cluverius* Basileam esse Arialbinum *Antonini*, apud ipsum enim nulla Basileæ mentio: alij tamen dixerunt Arialbinum fuisse Mulhausium. Non desunt, qui credant, jam sub Adriano fuisse Basileam, cujus meminerit *Phlegon* Adriani libertus, sed an de hac in Rauracis Basilea loquatur, dubitat *Simlerus*, nec sine causa; est namque Basilia Insula in Oceano septentrionali, de qua *Plinius* lib. 4. cap. 13. Sunt etiam

Basilei, secundùm Strabonem populi Sarmatiæ Europeæ ad utramque Istri ripam incolentes, maxima ex parte è Nomadibus, id est, Pastoribus constantes; iidem (ut opinatur *Henricus Stephanus*) cum iis quos *Pomponius* à regiis moribus Basilidas vocari tradit, sed quid hoc ad Basileam Rauracorum? *Munsterus Cluverius* & alii ad Valentiniani & Gratiani tempora istius urbis incrementa referunt, voluntque *Marcellinum* Basileæ primum meminisse: dicit enim, Valentinianum post vastatos aliquot Alemanniæ pagos, adversus Barbarorum incursus munimentum ædificasse propè Basiliam, quod vocant accolæ Robur: unde *Cluverius* lib. 2. cap. 5. Basiliam non appellat urbem, castellum aut vicum, sed Robur accolis Basil, quod nihil aliud erat quàm magna, vetustaque quercus Deorum alicui consecrata, cui ipsi nomen Basil; imò non dubitat *Cluverius*, authorem Basiliæ constituere Valentinianum circa A. C. 374. atque Arialbinum Antonini munimentum illud à Valentiniano propè S. Quercum Basiliam conditum fuisse credit. Quidam tamen munimentum illud fuisse existimant Robbergum arcem Salodorensium, Alii Fryburgum; Alii Rhinfeld ubi arx vetusta, &c. Posita autem *Cluverij* sententia aliorum concidunt conjecturæ. 1. Eorum, qui Basiliam à Basiliſco sic nominatam finxerunt. 2. Qui à Basilena Juliani imperatoris

toris matre denominatam volunt hanc urbem. 3. Non melior est illorum sententia, qui à Græco *βασίλεια* dictam autumant, quasi urbem regiam. 4. Non multùm firma est *Rhenani* conjectura, quâ vult Basileam vocatam quasi Passileam à fluvii Rheni transitu (juxta veterum Gallorum sermonem) qui hoc in loco commodior fuerit, quàm apud Augustam. Basileæ mentionem facit *Ligurinus* Poëta.

Hæc adeò tellus à sedibus incipit illis,
Qua Basilea suos, vicino flumine muros
Alluit, & Rhenum venientem læta salutat.

Veterem esse Rauracorum Episcopatum restantur historiæ. Pantalus enim A. C. 235. primus Episcopus fuisse perhibetur, comes D. Ursulæ cum XI. m. Virginum Romam usque & martyrii socius. Justinianus A. 347. Rauricensis Episcopus synodo Colonienſi interfuit: referentibus. *Munst.* lib. 3. & *Rußingero*, in Vindon. descr.

De Sequanis.

SEquani Helvetiis fuerunt vicini ab occidente æstivo, inter quos fuit mons Jura (ut ait *Cæsar* lib. 1.) qui Helvetiorum fines à Sequanis dividebat: de his præter Cæsarem mentionem quoque faciunt *Cicero* in Epist.

ad Attic. *Marcellin.* lib. 15. Sidonius lib. 1. epist. XI. Σηκουανοὶ *Straboni* lib. 4. Σηκανοὶ, *Ptolomæo*; Σηκοανοὶ *Dioni Coccejo*, dicuntur. Eorum regionem *Maximam Sequanorum* vocat *Sextus Rufus.* Notitia imp. occid. *Sequanicum* appellat; *Civitas Sequanorum* universim pro tota ditione, in quadam Lugdunensi inscriptione, sumitur. De Sequanis sic Marlianus: *Sequani populi inter Celtas Burgundiæ comitatum incolentes, quos à Gallia provincia Romanorum Rhodanus fluvius dividebat, finitimi Helvetijs, Heduis, Lingonibus, ac Rheno, per fines comitatus nunc Ferretensis, nihil ut videtur, de his quæ in Ducatu Burgundiæ sunt, tunc possidentes, quòd illa omnia speciali nomine Heduis & Lingonibus adscriberentur, nec illi dicerẽtur Sequani, sed hi solùm, qui à Rhodano propè Bellicensis urbis diocœsin usq; ad Vesontionem civitatẽ maximam Sequanorũ, & ab inde usq; in fines comitatus Ferretensis, ac diocœsis Argentinæ, Rhenumq; fluvium protendebantur. Inter quos fluvios Rhodani & Rheni per civitatem illam Vesontionem, quæ quasi in medio est, quinq; dierum iter expedito patet finibus ijsdem. Ultra quoq; Ararim fluvium non longè post ejus ortum, Sequanorum fines, quos ipsa Vesontina diocœsis complectitur, protendi videbantur.* Sequanorum autem provincia post Julij Cæsaris tempora longiùs latiùsq; patuit, siquidem, ut alibi vidimus, Helvetiæ pars Sequanis tributa est. Unde verò dicti Sequani, nihil habeo certi. *Vaudi chronica* faciunt Sequanum quendam Eructo-

ni

ni filium, Lemani, nepotem, Sequanorum regem à quo illud nomen sortiti sint. *Gollutius* Sequanos à Sequana fluvio originem trahere, ait. Sequana autem, secundùm *Marlian.* fluvius est ortum habens propè fines Heduensis ac Lingonensis Diocœsium in Ducatu Burgundiæ, in Alseti regione, non longè à vico abbatiæ & monasterij S. Sequani. Sed Sequanos, destruxerunt & eorum nomen Burgundi aboleuerunt, præter exigium illud, in voce *Suntgövv*, vestigium. Horum meminerunt inter alios *Marcellin.* lib. 18. *Orosius* lib. 7. *Sigonius*, varijs locis. *Agathias* eos appellavit Burguziones: Alijs Burgundi, vel Burgundiones dicuntur; quòd olim vicos habitarent, qui eorum lingua *Burgi* vocàntur *Sigon.* lib. 7. *Munster.* lib. 2. &c. *Petrus* tamen *Sancto-Julianus* Burgundiæ etymon à loco quodam diducit, qui vulgò *Burg-Ogne*, in agro Langrensi. Fuerunt verò Burgundiones Germaniæ Populi, ex Vandalorum orti sanguine: ij sub Theodosio Juniore Arcadij filio, expulsis latè Sequanis Heduisque, non solùm illam veteris Galliæ partem, sed & dimidiam Helvetiam occuparunt, adjunctis sibi socijs Nuithonibus, de quibus Tacitus, & Vandalis, ab his regionem Vaudi nomen accepisse, sicut ab illis Nuchtlandiam volunt quidam. Imperium illis olim fuit vastum, Sedunos enim Veragros, Antuates, Allobroges, Lugdunum,

Viennam, Provinciam hodiernam, Helvetiæ partem &c. complectebatur. Sed de his apud Historicos, & fortè, si Deus dederit, aliquandò dicturi.

De Allobrogibus.

DE his populis tria nobis breviter disquirenda sunt. I. De illorum *nomine*. II. De illorum *origine*. III. De illorum *Regione*.

Nomen quod attinet variè enuntiatum, tum apud Græcos, tum apud Latinos. Ἀλλόβριγας vocant *Charax* (teste Stephano) & *Strabo* lib. 4. qui Ἀλλόβρυγες, υ pro ο, *Apollodoro*, apud eundem Stephanum, *Ptolomæo* lib. 2. apud quem tamen in multis exemplaribus Ἀλλόβριγες; Ἀλλόβεργες *Polybio* apud eundem Stephanum, *Dioni*, alijsq; Græcis. Allobroges, veteribus latinis, ut *Salustio*, *Cæsari*, *Livio*, *Plinio*, & alijs, quibusdam Allobrogæ, *Viterbiensi* Allobrogi. De horum *origine* & denominatione, varia à varijs afferuntur: aliquas sententias proferemus. *Vaudi chronica*, *Paradinus*, alijq; à quodam Rege dicto, *Allobrox*, denominatos volunt, sed de isto Allobroge rege varia narrantur. Vaudi chronica eum faciunt Eructoni filium, Lemanni nepotem, Sequani & Helvetici fratrem. *Paradinus* ait, Allobrogem fuisse filium Jasij ex Herculis genere, eumque

ex

ex Regibus illis novem, qui ſucceſsivè Gallijs imperarunt, uſq; ad Trojæ deſtructionem, unum fuiſſe &c. Nugatur Viterbienſis de Allobrogum etymo, ad XVIII. Aſsyriorum regem ſuppoſitij Beroſi: non convenit etiam inter omnes, quo tempore in Gallijs regnaverit iſte Allobrox. *Epitome chronic.* mundi vult, Allobrogem Gallias rexiſſe circiter A. M. 4268. *Bergeronus* in ſumma temp. A. M. 2433. Aliter etiam alij. Ego in tanta Authorum diverſitate fabuloſa pleraque crediderim. De eorum denominatione ſic antiquus Interpres ad Juvenal. Satyr. 8. *Allobrogæ Galli ſunt, ideo autem dicti Allobrogæ, quoniam Brogæ, Galli agrum dicunt, Alla autem aliud; Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.* Allobroges *Sabaudos* interpretatur Tſchudus. *Delfinates* Poldus & Rhenanus. *Marliano* fuerunt populi citra Rhodanum fl. & ad Juram montem & Lemanni lacus ripas, extra Belgas, Celtas & Aquitanos. Vanderburchius gentem Galliæ Narbonenſis facit. Quidquid ſit, etſi eorum origo non ita certa ſit, certum tamen eſt, eos latum imperium & potens nomen habuiſſe, ita ut Allobrogum regio comprehenderet hodiernam Sabaudiam, Delfinatum, & confinales Provincias; *Ptolomæus* enim *Viennam* Allobrogum facit metropolim: Et Cæſar lib. 1. Allobrogum extremam, Helvetiorumque finibus proximam Genevam dicit. Ἔθνος δ' ωα-

δυνατώτατον Γαλατικὸν, id est, Gallicam gentem potentissimam *Apollodoro*, apud Stephanum. *Livius* decad. 3. lib. 1. de illis sic loquitur. *Allobroges, gens jam inde nulla Gallica gente opibus aut fama inferior.* De illorum moribus & contra eos gestis agere non est hujus loci. Quæ verò priùs Allobrogia dicta est, postmodum *Sabaudia* nuncupata fuit, quæ certè non semel in libro Notitiarum nominatur inter Galliæ Narbonensis provincias. Meminerunt ejusdem, nunc *Sabaudiam*, nunc variante Scriptura Sapaudiam nominantes, & medij ævi Scriptores. Non tamen æquè patuit Sabaudia, ut Allobrogia, propriè enim Sabaudiæ nomen illi regioni, quæ inter Alpes & Lacum Lemannum, est impositum. Eo verò tempore quo sub Imperatoribus Romanis fuit Helvetia, regio, quæ hodie Vaudi dicitur, sub Sabaudia habita est; Sic de Calarona in lib. Notitiar. *In provincia maxima Sequanorum Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calaronæ Sabaudiæ.* Sic de Ebroduno in eodem libro. *In provincia maxima Sequanorum Præfectus classis Barcariorum Ebroduni Sabaudiæ.* Sed post Gentium migrationes Sabaudiæ nomen trans lacum retrocessit: *Burgundiæ* enim *minori* Vaudi regio tributa est, donec iterum Sabaudiæ Comites eam usurpassent, ut alibi vidimus. Tandem restituta Helvetiæ libertate, restituti etiam sunt antiqui Helvetiæ limites, ita ut hodie, non

non minùs quàm ante Julij Cæsaris tempora, Vaudi regio Helvetiæ accensenda sit. Hîc reticere non possum *Dan. Erem.* in Waldenses convitium. *Bellicosi*, inquit, *Bernates, sed imbellis turba subditorum: Quorum pars Sabaudiæ, alia alijs debeatur: Eos Helvetios non esse linguâ & degener animus arguit; Nihil etiam ex proceritate illa corporum, nihil ex virtute retinent.* Quasi verò quoniam Waldenses Sabaudis paruerunt, generosi esse non possint? Quasi verò omnes Sabaudi timidi fuerint? Scilicet inter Belgas, ô Daniel Eremita, nulli existant pusillanimes & ignavi? Scilicet lingua aut corporis proceritas magnanimum faciat quempiam? Sabaudiæ nomen unde impositum, varij variè quærunt. Sic *Carion* lib. 5. p. m. 843. *Nomen Sabaudiæ novum est, tractum vel à Savona oppido inter Genuam & Niceam, vel à Sabbatijs Alpinis populis.* Hoc postremum voluisse *Ptolomæum* testis est *Wanderburch.* Alij à *Sabatijs vadis* derivant, inter quos est *Paradinus.* Est autem Sabatium vadum (hodie *Vay*) Plinio Liguriæ urbs, quæ *Sabatia*, Melæ; Σάβατα, Ptolomæo; Σαββάτων Οὔαδα, Straboni, dicitur. Alij Sabaudiam vocant, quasi *Sabbatorum*, quos Sabaudienses scribit *Volaterranus*, Auwe/ id est, ager, pratum, locus pascuus. Quibusdam quasi *Saul-voye*, via per salices, dumosaq; & aspera quondam loca. Nonnullis quasi *Sauve voye*, salva via, quòd Beraldus latrones vijs infe-

infestos destruxerit & viatores in illa regione ab omnibus periculis liberaverit. *Paradin.* Multi ex *Sebusianis*, de quibus *Cæsar.* lib. 1. & quos Segusianos vocat *Strabo*, factos Sabaudos volunt. Conijciunt adhuc alij, Sabaudiam vel Sapaudiam, à *Sapnis* (gallica lingua *Sapins*) id est, abietibus, dictam: Fert enim regio abietes & piceas proceras, navali materiæ aptas. *Simler.* lib. 1. de Valles.

De Antuatibus.

DE his populis variæ sunt sententiæ; multi enim eos cum Nantuatibus confundunt. Sic *Casaubonus* in lib. 4. Strab. Antuates & Nantuates apud Cæsarem diversas fuisse gentes non credit. Quidam Antuates, *Vautuates*, seu Vaudi incolas appellant. *Marlianus* eos facit *populos citra Rhodanum extra Belgas, Celtas & Aquitanos, finitimos Allobrogum, & Gebennæ oppido, ac Galliæ provinciæ Romanorum proximos. Hujus nominis extat vicus & præfectura quædam Monachorum, inter Genevam & Delfinatum, qui est Genevensis diocæsis.* Hæc Marlianus. Duæ priores sententiæ refutationem non merentur postrema simpliciter vera non est. Geneva enim est in finibus Allobrogum, unde *Marlianus* Antuates nimium extendit, quod ipse quoque animadvertit, dum dicit. *Videntur secundùm Cæsaris descriptionem Antuates magis fuisse inter Allobroges*

lobroges & vicum Veragrorum, cui D. Mauritius Sedunenſis diocœſis nomen eſt. Sic autem *Cæſar* initio lib. 3. *Cùm in Italiam proficiſceretur Cæſar, Servium Galbam cum legione duodecima & parte equitatus, in Antuates, Veragros, Sedunoſque miſit, qui à finibus Allobrogum & lacu Lemanno & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent.* Ex illis Cæſaris verbis colligere eſt illos eam occupaſſe vallem, quæ à S. Mauritio ad lacum uſque extenditur, quæq; maxima ex parte D. Bernenſibus hodie paret; quod reliquum eſt trans Rhodanum Valleſianis. Nominis *Antuatium* veſtigium remanſiſſe videtur in pagulo quodam, Mandamenti (ut vulgò vocant) Olonenſis, vocato *Antagne.* De Antuatibus jam aliquid diximus cap. 3. Horum regionem poſtea *Chablaſij* nominatam volunt quidam; quamque alij Genevam uſque extendunt, alij ad Genevenſium confinia reſtringunt, dicuntq; ſic appellatam à *caballis*, quod eo equitatus Romanus ſe reciperet. Acta tamen antiqua S. Mauritium in Chablaſij regione ſitum oſtendunt. Antuatium celebriora loca ſunt *Penne locus*, & *Aquilea.* Diſtat *Penne locus* à Tarnada XIV. m. p. ſecundùm Antoninum in Tabulis eſt *Penne lucos.* Alius non reperitur locus, cui Antonini calculatio, magis quàm *villæ novæ*, ad lacus caput conveniat, ponit enim (inquit Guillim.) medio inter Tarnadam ſiue S. Mauritium, & Viviſcum itine-

itinere: sed fallitur, longiùs enim distat Penne lucus à Tarnada, quàm à Vivisco. *Cluver.* tamen credit Penne lucum esse Novillam vicum ad Rhodani ripam, dictumq; Penni lucum quasi sacrum Iovi nemus: De Penno Veragrorum Deo alibi diximus. Villam novam (*la ville neuve*) quod attinet, antiquum esse locum testatur sequens inscriptio ex quadrato marmore vel columnæ Epistylio inter Villam novam & lacum à Clariss. *D. Hermanno* nuper descripta: quæ ita se habet.



Aquilea vicus hodie est Gallicè dictus *Aigle* Germ. Aelen. Antiquus est sine dubio, quamvis hujus non meminerit Antoninus. *Ala* enim nomen (accolis *Alo*) accepisse credit Guillimannus p. 99. ab equitum alis, quòd ibi equitum Romanorum Aquilam pro insignibus habentium, præsidium fuerit, unde etiam nomen & insignia habent hodie Aquileenses: Est quoq; pagus vicinus dictus vulgò *Tuornaz* ab hybernis, ad id enim locus valdè commodus

dus erat: propterea *Cæsar lib.3.* equitatus partem in Antuates misit.

De Vallesianis.

EA regio, quam Germani Wallis aut Wallisserland / Galli *Valley* aut *Valéz* vocant, Latinis vulgò *Vallēsia*, vel secundùm quandam inscriptionem, quam ad urbem Genevam vidimus, *Vallisá*; quo nomine jam Romanorum tempore, indigitatam fuisse credimus. Incolæ dicti *Vallenses*, *Vallesij*, & *Vallesiani*. In conciliorum Epaunensis & Aurelianensis quinti subscriptionibus, Episcoporum Octodurensium *Valinsanorum* mentio fit, ita enim quædam exemplaria vocant, alia verò *Vallensium* nomen habent, ut & in libro provinc. *Simler.* de Vall. lib. 1. *Guillim.* p. 440. Vallesiam dictam vult *Munst.* cosm. lib. 3. vel, à *valle*, quod hinc atque hinc altissimis montibus vallata sit, vel ab arce *Valeria* quæ Seduni est. Vel forsan à Dea *Vallonia*, quæ ut ait *Sipontinus* erat Dea vallibus præsidens, & fortè apud Vallesianos culta; siquidem haberent vallem fertilissimam, munitissimam, & amœnam. Vallis ipsa in longitudinem ferè C. m. p. patet, tota tamen angusta est, nisi qua inter montes in alias valles diffunditur, quarum quædam XV. nonnullæ etiam XXX. m. p. longitudinem habent. De longitudine & lati-

tudine sic *Cluver.* lib. 2. cap. 4. *Rhodanus ab excelso Alpium vertice (nunc est D. Gotthardi mons) profluens vallem efficit XC. m. p. à capite ad lacum Lemannum in longum porrectam, latam verò ubi summum patet duûm millium passuum.* Munsterus lib. 3. eam ab oriente in occidentem extendit per spatium trium aut quatuor dierum, *Mercator* verò quinque. Terminos autem habet à Septentrione, Helvetios, ab oriente Lepontios, à Meridie eosdem Lepontios & Salassos, ab occidente Antuates. Vallem hanc Penninam à quibusdam vocari vidimus in Alpibus Penninis, cap. VIII. *Polybius* lib. 3. Vallesianos, *Ardyes* nominasse videtur, cùm sic loquitur: *Multus Rhodani cursus est intra convallem: cujus septentrionale latus Ardyes Celtæ colunt.* De horum populorum nomine vestigium remansisse vult *Cluverer.* lib. 2. cap. 7. in vico *Arnen.* sed vocis similitudo major est in vico & fluvio *Ardonio*; Nec *Arnen* est ad latus septentrionale, sicut *Ardon.* Vallesiam porrò varios populos incoluisse certum est; Horum trium meminerunt veteres, Viberorum, Sedunorum, & Veragrorum, de his aliquid dicturi, adversum petemus Rhodanum, & à Veragris incipiemus tanquam ab Antuatium vicinis.

De

De Veragris.

VEragrorum primus meminit *Cæsar* lib. 3. qui eos etiam sub Gallorum nomine comprehendit. *Straboni* dicuntur Οὐαραγγοι & ab ipso inter Alpinas gentes collocantur lib. 4. Apud *Plinium* lib. 3. cap. 20. legunt multi *Varagri*. Horum regio, malè dicitur, *Pays de Gavot*, Ægidio Tschudo; *Chablasij Ducatus*, Pingonio; latè nimis Wallisserlandi Guilielmo Paradino. Meliùs Marlianus: *Veragri populi extra Celtas, Belgas & Aquitanos, inter Sedunos, Antuates & Allobroges, montesque S. Bernardi & Brigam, quos Veragros fluvius Rhodanus interlabitur.* Clariùs Simlerus lib. 1. de Valles: *Post Sedunos Veragri imam vallem inhabitant, à Morsia flumine ad fauces usque, quà Rhodanus egreditur, inferiorem Vallesiam, eorum regionem hodiè nuncupant.* Celebriora & antiquiora Veragrorum loca sunt Tarnadas & Octodurus.

Tarnadas locus est, cujus meminit Antoninus, in Tabulis *Tarnajas*; distans ab Octoduro XII m. p. Convenit hæc distantia S. Mauritio, in Vallesianorum ditione. Hunc Veragrorum caput constituunt *Volaterranus* lib. 3. & *Marlian.* in Cæs. de hoc sic *Guillim.* lib. 4. c. 3. *Tarnada, Agaunum priùs Celtis nominata; Am Gand, hoc est, ad rupem, seu saxorum & montium prærupta. Nam & vita D. Mauritij, ut superioribus*

annis, in ejus glorioſiſſimi martyris baſilica legebâmus, ait Agaunum corruptè ita dici, pro Am Gand, quod Gallicâ linguâ, hoc eſt, Celticâ, ad ſaxa ſignificat, quòd multa eo loco ſaxa, & rupes altiſſimæ quæ Valleſianos ab Helvetiis tanquam clauſtro, & arte dejungunt. Octoduri quidem primò Thebææ Legionis imperata cædes, ſed major pars Agauni trucidata. S. Sigiſmundus Burgundiæ Rex præclarum ibi monaſterium condidit in honorem SS. Martyrum. Vocatum autem eſt monaſteriũ illud S. Agaunenſiũ, & vicus poſtea dictus *S. Mauritius* à S. Mauritio, cujus reliquiæ hîc aſſervari creduntur: De hujus Mauritij martyrio ſic Viterbienſis, chron. p. 15. *His temporibus Imperatores B. Mauritium in Gallias ad expugnandos hoſtes imperij cum legione ſua deſtinaverunt, qui à Marcello Papa, cum legione ſua chriſtiana benedictione percepta, ſimul cum Imperatore* (Maximiano) *Alpes per montem Jovis tranſcendit, cumquè apud Octodurum ad idololatriam vocaretur, cum ſuis renuens martyriſantur, ex quibus juxta fluvium Rhenum* (corruptè pro Rhodanum) *novem occidunt in oppido quod Bunna vocatur, &c.* Eadem ferè habet, ſed fuſiùs Sigonius lib. 1. ad ann. 285. videatur & *Similerus.* Hunc locum veterem eſſe oſtendunt non ſolùm quòd Antoninus illius meminerit, ſed etiam variæ inſcriptiones Romanæ: imò munitum Gallico bello locum à Julio Cæſare fuiſſe plerique credunt, ut ſic in ſua poteſtate Alpium haberet tranſitum: quo conſilio

etiam

etiam Latio donati sunt Octodorenses. *Simler.* de Vall. lib. 1. fuerunt hoc in loco Flamines Sacrorum administri, ut ex inscriptione sequenti, quam mancam reperit *Guillim.* p. 86. in ruinis chori veteris B. martyrum.

--VIPANSIO. COR.
--V. FILIO SEVERO
IIVIRO FLAMINI
IVLIA DECVMINA
MARITO.

Aliter hanc refert *Simlerus* de Valles. lib. 1. & magis integrè.

D. PANSIO M. FI
SEVERO AN. XXXVI.
IV. DECVMINA MATER
FIL. PIENTISSIMO
X PANSIO. COR.
----FILIO. SEVERO
IIVIR. FLAMINI
IVLIA. DECVMINA
MARITO.

Simlerus, & post eum Hottingerus, sequentem habet.

V F
IVLIA DECVM. FIL.
DECVMINA.
FLAMINICA.

Ait quoque idem Simlerus, multas præterea inscriptiones in templi pavimento, parietibus & muro cœmeterij, sed vetustate

exesas & attritas paucis exceptis literis cerni, quasdam sic refert:

D M
----M---SER----G----
------M--------
----SE---P---R---
---AT------

SEX---F------L------
SEVERI----------

IMP. CÆSARI AVGVSTI F.
------OTI PRINCIPI
---------COS. DESIG.

Inscriptionem Tito Vespasiano factam se reperisse Agauni testatur *Guillim.* lib. 2. p. 157. sed quæ præter nomen & paucos characteres vix aliquid certi demonstraret.

Octodurus Cæsari vicus fuit Veragrorum, cujus meminit *Antoninus* scribens Octodurum à summo Pennino distare XXV. m. p. & à Tarnada XII. m. p. quæ distantia hodie quoque eadem ferè traditur: nisi quod quidam ad summum Pennini plus III. m. p. numerant. *Sim.* de Vall. lib. 1. In libro Provinc. vocatur *Civitas Vallensium* h. e. *Octodurum:* & apud Virerbiensem *Ottodurum.* Jovius, Marlianus & alij Octodurum interpretati sunt per S. Mauritium, sed malè, ex Cæsare enim patet esse Martiniacum hodiernum; Cæsaris hæc sunt

verba

verba lib. 3. *Qui vicus positus in valle, non magna adjecta planitie altissimis montibus undique continetur. Cùm hic in duas partes flumine divideretur, alteram partem ejus vici Gallis ad hyemandum concessit, alteram vacuam ab his relictam, cohortibus attribuit.* Hæc descriptio Martiniaco probè convenit. Flumen autem non à Cæsare intelligi Rhodanum, sed Dransam ostendit *Eutropius* qui torrentem nominat: nec Rhodani celeberrimi fluvij nomen reticuisset Cæsar. Refert *Guilliman.* lib. 4. p. 445. florente adhuc Octoduro supra fuisse arcem Martiniacum nominatam, ubi verò oppidum subversum, antiquum nomen abolevisse, restante solo nomine Martinach ab arce in præcipiti petra sita, cujus adhuc hodie rudera cum turri conspiciuntur. Celebris fuit hic locus, cùm Vallensium quondam caput fuerit, & suos Episcopos habuerit, ut ostendit *Guilliman*, sed hic Episcopatus, cùm ob nimbi ruinam oppidum ferè corruisset, à multis seculis antiquatus est, & Sedunum translatus. Postremò Romanæ inscriptiones loci vetustatem testantur, has duas refert *Simler.* lib. 1. de Valles. in angulo templi.

RI. AVGVSTI. F.
I. NEPOT.
RI. IVETVTI.
CI. COS. IA.

Columna è rudi lapide ſub poſteriore porticu ejuſdem templi.

IMP. CÆSARI VAL.
CONSTANTIO PIO
FEL. INVICTO AVG.
DIVI. CONSTANTII. PII. AVG.
FILIO FOR. CL. VAL. BONO
REIPVBLICAE NATO.

Teſtatur *Munſterus* lib. 3. ſe in illa columna potuiſſe tantùm legere hæc verba.

INVICTO. AVG. DIVI. CONSTANTII. FILIO.

De Sedunis.

De his ſic Marlianus. *Seduſij vel Seduni, populi Germaniæ, ſi pro Sedunum urbem incolentibus capiantur, ut conjectura eſt. Helvetijs, & pro parte Celtis annumerantur, vel ſaltem eis ſunt finitimi, ipſoſque fluvius Rhodanus irrigat, finitimi etiam ſunt Veragris, inter montes quibus nunc Briga & S. Bernardi nomen eſt, non longè ab Antuatibus & Allobrogibus, Germanica lingua magna ex parte utentes, Civitas eſt Epiſcopalis, Tarentaſiæ latinè nomen retinens: in cujus finibus Rhodanus oritur, nec longè ab eis verſus Curienſem & Tridentinam diocæſes Rhenus exoritur.* Sed quàm variè & turpiter hallucinatur bonus vir: unde meritò à Glareano & Rhellicano notatur. Nos Sedunos ſic deſcribimus.

Seduni antiquiſsimi fuerunt Galliæ populi,

li, de quibus Cæsar, Plinius, Mela & alii? mediam Vallesiæ regionem incolentes, Veragros ab occidente, Viberos, aut Iuberos ab oriente habentes: à Septentrione Helvetiis, à meridie Lepontiis finitimi, sed ab illis altissimis montibus separati. Hos *Simlerus* lib. 1. de Vall. extendit à rivo Morsia, ad conventum Vispianum inclusivè; *Cluverius* verò ad vicum Leuck. Horum urbs, civitas Sedunorum, & Sedunum, totius gentis nomine vocata est: quod aliis quoque accidit urbibus, ut populorum quorum essent capita, nomina sibi adsciscerent, sic Rhemorum & Parisiorum nomine celeberrimæ in Gallia urbes nuncupantur, quæ maxima horum populorum oppida quondam fuerunt. Dicitur Sedunum hodie, Germ. Sitten/ Gall. Syon. Urbem vetustissimam credit Simlerus, tum quòd Sedunorum apud Antiquos reperiatur nomen, tum quòd ex variis incendiis & vastationibus quædam adhuc supersint antiquitatis monumenta, inter quæ est inscriptio sequens, ad majorem templi B. Virginis portam, Cæsari Augusto facta; hanc sic se habere testatur Simlerus.

...P. CÆSARI DIVI I....
..UGUSTO. COS. XI.....
..RIBUNICIA POTESTATE XV.
PATRI PATRIÆ
...TIFICI MAXIMO.
.....AS. SEDUNORUM
....PATRONO.

Integra verò sic se habuit.

IMP. CÆSARI. DIVI JULI F.
AUGUSTO COS. XI. IMP. XIII.
TRIBUNICIA POTESTATE XVI.
PATRI PATRIÆ
PONTIFICI MAXIMO
CIVITAS SEDUNORUM
PATRONO.

A tempore quo Alpinæ Gentes sub Augusto devictæ sunt, oppida Sedunum, Octodurum & Agaunum condita & mœnijs cincta fuisse credidit *Simlerus* lib. 2. de Vall. cùm antè vici fuissent; Inter quæ Octodoren ses Latio donatos Plinius tradit: Idem de Seduno & Agauno suspicatur *Siml.* Veteres enim inscriptiones Romanos, aut saltem Italos, in his locis mercaturæ causâ, & ad Alpina itinera tuenda, habitasse ostendunt. Arx illa, quæ hodie Canonicorum est, & *Valeria* nominatur, sine dubio vetustissima est: Ferunt quidem, Canonicos propter assidua bella, ante aliquot secula hunc exædificasse & inhabitasse locum, *Verumtamen*, inquit Simlerus, *nomen ipsum Valeriæ me movet, ut multo antè tempore hunc locum à Romanis munitum credam, sed bellis aut alio modo vastatum, postea à Canonicis opportunitatem loci secutis denuò restitutum.* Dicta forsan Valeria, vel à Valerio Procillo, qui sub Cæsare in Gallia militavit, vel ab aliquo alio Valerio ejus nominis Romano,

De

De Viberis aut Iuberis.

NEmo horum populorum, inter veteres meminit prærer *Plinium* lib. 3. cap. 20. qui eos inter Alpinas gentes collocat, & Rhodani fontis accolas facit. Uno apud Plinium loco, *Viberi*, & alio ubi Augusti trophæum ponitur Juberi nominantur: Quo loco Sigismundus Gelenius Viberorum nomen reposuit, sed non ita appositè, ut ostendit *Simlerus* de Vall. lib. 1. nec ullam ejus rei affert rationem. Observat *Munsterus* lib. 3. Montem Furcam unde Rhodanus oritur, nominatum Coatium, Ursellum & Juberum, est etiam mons vicinus (unde Elmius fluvius, quem quidam Rhodani fontem faciunt) *Jubet* nominatus & forsan is est, quem Jovius vocat *Jovet*. Quidam Viberos, volunt esse Ursarios aut Ursellanos in pago Uriensi. Sic verò Simlerus. *Juberi seu Viberi supremam Vallesiæ partem tenent, quorum nomine, si quis Ursarios quoque comprehendi censeat, quando sæpe idem populus ab utraque parte alicujus montis habitat, non valdè repugnarim.* Dicti autem Viberi fortè à *via*, quòd apud eos sit via in Italiam? Hujus nominis vestigium remansisse vult *Simlerus* in vico Briga, dicto quasi Viberiga, aut Viberico vico. Observat verò *Cluverius* lib. 1. cap. 7. ant. Germ. vocem Briga antiquis Celtis significasse pontem, quem Germani *Brug*, Prussi *Brigge*, & Angli *Bridge*, vocant;

cant; & oppida terminantia in *Brige* esse ad fluviorum ripas.

De Rhætis.

Antiquissimam fortissimamque fuisse Rhætorum gentem nullum est dubium, cùm ampla sit illorum apud omnes Veteres mentio. Nostri non est instituti, hîc ea omnia quæ illi habent referre, sed tantùm quædam Rhætiæ & Rhætorum antiqua breviter proferre, quantum quidem Rhætorum, tanquam Helvetijs finitimorum, hodieq; fœderatorum cognitio, Helveticis antiquitatibus & historijs aliquam poterit afferre lucem.

Rhætorum origo satis nota. Sic *Plinius* lib. 3. cap. 20. *Rhætos Thuscorum populem arbitrantur à Gallis pulsos, duce Rhæto.* Fusiùs Justin. Histor. lib. 20. p. m. 213. *Gallis causa in Italiam veniendi, sedesq; novas quærendi, intestina discordia, & assidua domi dissensiones fuêre: Quarum tædio, cùm in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Tuscí quoque duce Rhæto, avitis sedibus amissis, Alpes occupavere, & nomine ducis gentem Rhætiorum condiderunt.* Consulendi Livius, Strabo, aliiq; veteres. Hoc factum A. M. 3396. juxta supputationem Verderii lib. 2. V. C. 184. Olym. 52. 4. ann. 109. Regni Servii Tullii Romanorum regis, secundùm

cundùm chronol. *Funcij*. Circiter 359. an. ante Christum natum. Epit. chron. pag. 29. Tuſci, à Tuſco rege Herculis filio dicti, ſecundùm *Pompejum* Feſtum, priùs Umbros expulerant. *Plin.* lib. 3. cap. 14. poſtmodum Thuſci eandem ſortem experti ſunt à Gallis, ſub Bellovefo eorum rege. A Thuſcis ergo Rhæti originem, & à Rhæto duce nomen habuerunt, unde etiam Rhæti aliquid de Tuſcorum lingua retinuerunt. *Strabo* lib. 4. *Merula* p. 794. Quamvis verò ſub Rhætis varij comprehenſi fuerint populi, hodie tamen ſolis Griſonibus manſit. *Dan. Erem.* in obs. *Cluverius* in ſua Vindel. c. 3. ait Gerras de quibus *Dioniſius Afer*, & *Avienus* Poëtæ, eſſe Rhætos, qui etiam Cani (vide Guillim. 418.) dicti ſunt, unde *Marcellin.* lib. 15. eorum regionem, campos caninos vocat. Retinent hanc appellationem Itali, eos *Griſones*, & Germani, Grawpündter *canos confœderatos* vocantes. *Siml.* lib. 1. Reip. Helv. Latè autem patuit quondam Rhætia, quæ non tantùm Alpinas regiones, ſed maxima ex parte Sueviam & Bavariam comprehendebat, unde nõ ſolùm Rhæti ad Italiã uſq; pertinent ſupra Veronam & Comum, ut ait *Strabo* lib. 4. ſed & ad Brigantinum uſq; lacum extenduntur *Solin.* cap. 34. Hinc *Magino*, Rhæti ſunt vel ciſalpini vel tranſalpini. Romani etiam imperatores duplicem fecerunt Rhætiam, *primam* & *ſecundam*, ſeu *ſuperiorem* & *inferiorem*. Secun-

da

da Rhætia comprehendebat lacum Brigantinum, vicinasq; regiones hinc *Curiam* versus; illinc ad *Augustam*, quam vetustas nominavit Augustam Rhæticam; appellatio adhuc in extrema ora hæret propè Noringam. *Caroin* p. m. 195. & hæc fuit inferior Rhætia. Prima Rhætia superior etiam dicta, appellatur totus ille tractus, qui ab Helvetiorum finibus initiũ sumens bonam Galliæ cisalpinæ partem ad Larium usq; lacum occupat; Grisones appellantur. Secundùm *Cluver.* Primæ & secundæ Rhætiæ mentio apud Antoninum. *Notit. imper. Rom. Paul. Diac.* lib. 2. cap. 15. Sed cùm Rhæti, Alpina gens, varios sub se populos antiquitus comprehenderunt, eorum aliquos breviter videamus.

De Lepontijs.

LEpontij ita dicti creduntur, quòd ab Hercule eo loco relicti fuerint. *Simler.* de Alp. p. m. 202. dè his sic Sprech. pall. Rhæt. lib. 1. *Gens hæc antiquissima est; Cæsare, Straboñe, Ptolomæo, & Plinio teste: Qui eos ab exercitu Herculis, Alpes transcendentis, in summis ibidem Alpibus relictos & collocatos (inde λειπόνοι, quasi relicti) fabulantur.* Habent Lepontij à septentrione Helvetios, & ab occidente Vallesianos finitimos: Horum nomen mansit in valle Lepontina, ut alibi vidimus. Non benè eos Marlianus

nus describit his verbis. *Lepontij populi sunt Germaniæ, qui Alpes incolunt, inter Sedunensem & Curiensem Diocœses: Hos quibusdam placet fuisse Sarmatas, apud quos flumen Rhenus oritur, fortè hodie Suitenses dicti: Inter fontem Rhodani fluvij, & Rheticas Alpes siti.*

De Nantuatibus.

HI fuerunt Helvetiorum finitimi, habuerunt enim à septentrione, Uranios & Glaronenses, & interpositis tamen Alpibus. De his non levis difficultas inter authores diversum sentientes suborta est, ut autem aliquam super hac re lucem afferamus: 1. Nostram sententiam proponemus, unde. 2. Apparebit, quàm invalidæ (nostro saltem judicio) sint aliorum conjecturæ. Ut igitur cujus regionis fuerint incolæ perspectum sit, consulendus Cæsar lib. 4. qui & primò & clariùs de illis locutus est. *Rhenus*, inquit, *oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt & longo spatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, &c. citatus fertur.* Non obscurè quoque Strabo lib. 4. *Ad Rhenum primi omnium habitant Nantuates*; & eodem libro. *Apud Nantuates Rheni sunt fontes in Adulæ monte.* Animadvertendum tantùm in priori Strabonis loco vitiosè in quibusdam exemplaribus legi οἰκοῦσιν αἱθουάποι, pro οἰκοῦσι ναυθουάθαι, vidit *Xilander* Strabonis interpres (inquit *Casaubonus* in lib. 4. Strab.) locum esse

esse ex Cæsare corrigendum, quanquam nè Cæsaris quidem authoritate fuit opus, sed tantùm ipso Strabone. Fuerunt ergo *Nantuates* populi Alpini ad Rhenum anteriorem habitantes, ubi nunc est cœnobium Dissentinum, & vicus Tauetsch; quem latini Scriptores, Ætuatium, juxta vitiosam Strabonis lectionem, vocant. Cùm autem Strabo & Cæsar Nantuates Rheni accolas faciant, vel ipsa die clarius est eos errasse, qui illos à Rheno longè nimium collocant. 1. Quidam eos malè posuerunt, in tertio Rhætorum fœdere, ad vicum vulgò *Tauaas* dictum. 2. Errant Tschudus, & qui cum ipso sentiunt, tractum illorum hodie die Waat / & Wchtland Germanicè, Gallis *le pays de Vaud* dici, unde Nantuates quasi *Vautuates*: ubi verò Rhenus in isto tractu? nonne fuit pars Helvetiæ potior, in qua Aventicum Helvetiorum caput? 3. Delirant *Volaterranus* lib. 3. qui urbem Tarantasiensem, & *Paradinus*, qui oppidulum *Nantua* habitasse Nantuates credunt. 4. Fallitur quoque Cluverius qui collocat eos in illo Vallesiæ tractu, ubi est vicus *Naters*: sed 1. vocis similitudo ad evertendam Cæsaris & Strabonis authoritatem, sufficiens non est argumentum. 2. *Plinij* authoritas, qua niti posset *Cluverius*, superiorem evertere non potest, dum lib. 3. cap. 20. illos inter Viberos & Sedunos locat. Notandum, Plinium variis locis corruptum, maxi-

maximè verò in illa Alpinorum populorum inscriptione, omnium ferè Doctorum judicio; Apud Plinium ergo Nantuates ante Leponțios collocandi sunt. 3. Quî duo populi Latobrigi & Nantuates juxta Cluverianam sententiam in tam angusto Vallesiæ tractu fuissent habitaturi? Briga enim & Naters non multùm distant. 4. Quid aliud esset quàm Rhenum Rhodano miscere? Tandem *Marlianus* eos Constantienses esse non benè dixit; sic enim Straboni repugnat; cujus verba supra vidimus.

De Rheguscis.

HI populi inter Alpinas gentes nominantur, & inter Rhætos numerantur. *Rugusci* dicuntur Plinio, & *Rugantij* aut *Rucantij* Straboni, de his Ptolomæus. *Incolunt Rhætiæ septentrionalia Brixantæ, Australia Suaneta & Riguscæ, media Calucones & Vinnones, &c.* Hi sunt, qui supra lacum Brigantinum vallem Rheni dictam Germ. Rhintal habitant; eos nimiùm extendere videtur *Simlerus*, ad eum usque locum, in quo Rheni fontes confluunt. Helvetiis hodie parent.

Sed de aliis quibusdam Rhætiæ populis ab Helvetia remotioribus agamus breviter ex Plinio lib. 3. cap. 20. ubi sic Augusti trophæum, sed variis modis corruptum ponit:

IMPERATORI CÆSARI DIVI FIL. AUG. PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBUNITIÆ POTESTATIS XVIII. S. P. Q. R. QUOD EJUS DUCTU AUSPICIISQUE GENTES ALPINÆ OMNES SUB IMPERIUM POPULI ROMANI SUNT REDACTÆ GENTES ALPINÆ DEVICTÆ: TRIUMPHILINI CAMUNI, VENNONETES, ISARCI, BREUNI, NAUNES, FOCUNATES, VINDELICORUM GENTES QUATUOR, CONSUANETES, VIRUCINATES, LICATES, CATENATES; ABISONTES, RUGUSCI, SUANETES, CALUCONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTUATES, SEDUNI, VERAGRI, SALASSII, AGITAVONES, MEDULLI, VCENI, CATURIGES, BRIGIANI, SOGIONTII, EBRODUNTII, NEMALONI, EDENATES, ESUBIANI, VEAMINI, GALLITÆ, TRIULLATTI, ECTINI, VERGUNNI, EGUITURI, NEMENTURI, ORATELLI, MERUSI, VELAUNI, SUETRI. NON SUNT ADIECTÆ, COTTIANÆ, CIVITATES XII. QUÆ NON FUERUNT HOSTILES, ITEM ATTRIBUTÆ MUNICIPIIS LEGE POMPEIA.

Hanc inſcriptionem & in populorum nominibus & in eorundem ordine corruptam, aliquo modo ſic reſtitui poſſe credimus, ex variorum doctorum ſententijs.

IMP. CAES. DIVI. F. AUGUSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIB. POT. XVII.
S. P. Q. R.
QUOD. EJUS DUCTU. AUSPICIISQ.
GENTES. ALPINE. OMNES.
QUÆ. A. MARI. SUPERO. AD. INFERUM.
PERTINEBANT.
SUB. IMPERIUM. P. R. REDACTÆ. SUNT.
GENTES. ALPINÆ. DEVICTÆ.
TRIUMPILINI. CAMUNI. VENNONES.
VENNONETES.
MISAUCI. BREUNI. GENAUNES. FOCUNATES.
VINDELICORUM. GENTES. VIIII.
CON-

CONSUANETES. VIRUCINATES. LICATES.
CLATENATES.
ABISONTES. RHEGUSCI. SUANETES.
COLLUCONES.
BRIXENTES. LEPONTII. NANTUATES.
JUBERI. SEDUNI. VERAGRI.
SALASSI. &c.

Reliquos, cùm extra instituti nostri sphæram sint, omittimus. Simlerianam horum Alpinorum populorum descriptionem proponemus, cui observationes breves addemus.

Triumpilini. (corruptè Triumphilini apud Plin.) *Hos Ægidius Tschudus in Rhætia suâ scripsit ad lacum Larium habitare, ac illos esse qui hodie Tripleven nominantur, quorum sunt Domasium, Mussum, Gravedona.* (In hac sententia videtur esse Cellarius, hic lacus dicitur Larius Virgilio lib. 2. geor. Plinio, aliisque; Λάδιος Straboni, Ptolomæo, cæterisque Græcis: Comacenus, ab urbe Como adjacente, Paulo Diacono & Antonino. Hodie lago di Como, Italis; Chumersee Germanis.) *Idem tamen postea visus est aliter sentire, atque Triumpilinos existimavit illos esse, qui vallem Trupiam, vel Triumpiam incolunt, atque hæc sententia verior videtur, cùm enim Euganei fuerint, quos intimum sinum maris Adriatici usque ad Alpes Plinius incoluisse scribit, rectiùs videntur ad Benacum, quàm ad Larium collocari. Jacet autem hæc vallis inter Benacum, & vallem Sarcæ fluminis, & præterea Camunicam vallem. Sunt in hac valle Clisius, & Castar fluvioli, & Ludro oppi-*

dum, à quo Comites Lodronij nomen habent, qui existimantur à Plinio Alutraenses nominati lib.3. cap.19. lacus Benacus, Virgilio, Plinio, Sex. Aurelio, Βήνακος Strabonis; Βάνακος Ptolomæo, is est qui hodie dicitur lago di Garda, Italis.

Camuni. *Nomen horum retinet vallis Camunica* (val Camonique) *quæ supra Triumpilinos, inter vallem Solis, & alteram de Serrâ, (qui fortè sunt Asseriates Plinio) atque vallem Volturenam posita est. Ollius fluvius* [Oglio] *ex hac valle in Sebinum lacum* [ita dicitur Plinio lib.3. cap.19. & Sevenius lib. 2. cap. 103. hodie lago d'Jseo; ab Jseo castro, in illius ripa] *influit. Parent autem Triumpilini & Camuni nostrâ atate Brixiensibus: & Plinius scribit Triumpilinos, Camunos, complureſque similes finitimis municipijs attributos fuisse.* Plinius etiam dixit Camunos ex Euganæis oriundos, & ex Lepontiorum numero fuisse referente Cellario. Sabellicus & Guarinus legerunt Camuli, pro Camuni.

Vennones. *Meminit horum Strabo, & eos inter Vindelicorum ferocissimos numerat, quique cum Rhætis ad orientem versi sint. Plinius quoque, caput (inquit) Euganeorum Stoni; Rhætorum Sarunetes, Vennoneſque ortus Rheni amnis accoluni. Quo loco Æni* [In fl. oritur in Engadina superiore ex Alpibus Juliis, ex Malojo illarum membro, & lacum Silienſem primò efficit; vallis per quam fluit, dicitur Pœnina, aut potiùs Oenina, hodie Inthal ut alibi vidimus] *nomen*

nomen pro Rheno quibuſdam ſupponendam videtur. Erunt igitur Vennones vallis venuſtæ, quam Germani Wunſtgöw *nominant*] Cellarius eos ad Æni aut Oeni, & Atheſis, Adeze, fontes locat. Guillimannus duplices facit Vennones, Ænanos & Atheſinos] *& ſupra hos in proxima valle ad ortum Æni Sarunetes jacent.* [Quidam Sarunetes interpretati ſunt Sarunegaunenſes, Sargans. De his idem *Siml.* lib.1.Reip.Helv.Quoniam Sarunetum ſedes eſt ad ortum Leni fluminis, qui populi hodie Engadini appellantur, hi Sarunetes aut Saruneganſij ſuperiorum fortè coloni ſunt, aut ſuum nomen non ab illis, ſed à Sara fluviolo oppidum Sargans præterfluente acceperunt. Quidam apud Plinium pro Vennones legerunt Vennotes & Venetes, qui & Venetici, lacus Acromi inferioris, Veneti etiã dicti, accolæ, ſecundùm Guillim. p. 250.]

Vennonetes. *Hi exiſtimantur incolæ eſſe, vallis Volturenæ, quam Valtelinam vulgò vocant.* [Volturena quaſi vol torrens, Celticè, Dan. Erem. in obſer.] *in cujus ſummitate Abdua fluvius ex jugis Bormianis oritur.* [Abdua, meliùs Addua, Plinio & Tacito nominatur, Ἄδδουας Polybio & Straboni, Adda vulgò: Ejus origionem inconſideratiùs Strabo deducit ex Adula, obſervantibus Guillim. & Merula, cùm ex monte, qui Vormſerioch vulgò à Bormio proximè ſubjecto vico, aut Braulius à ſacello S. Braulij, dicitur.] *Et in Larium*

per vallem hanc cultißimam defluit. Hæc ab ortu habet Sarunetes atque Vennones, à meridie Camunos, atq; ut Dion lib 54. ſcribit tam Camuni quàm Vennonetes à Publio Stlio, auſpicijs Auguſti Cæſaris in ſervitutem redacti ſunt, anno urbis conditæ 737. Lucio Domitio, & Publio Scipione Coſſ. Hanc vallem Vennonetum regionem, Valtelinam Itali nuncupant à caſtro eminentiſsimo Tilio. Habitatam tradunt nonnulli anno poſt diluviũ 675. ſub Campo Blaſcone, aliiſque Hetruſcis principibus; Tyrrenamque vallem, à Tyrrhenis Hetruriæ populis denominatã, à quibus eximia civitas Volturena nomine in infima vallis parte, ipſiſque lacus Larij (Larius Hetruſca linguâ principem ſonat) faucibus ædificata ſit, indeq; illuſtres ejus habitatores, Volturheni patres in hiſtorijs vocati. Sprech. lib. 10. pal. Rhæt. Merul. part. 2. lib. 4. cap. 7.

Hisarci. *Iſchudus exiſtimat legendum Miſauci. Sunt autem Miſauci Lepontiorum populus* [habitant hi vallem Meſoltinam vel Miſancinam, Maſoxerthal, cujus præcipuus locus dicitur Miſaucum, Maſox, arx munita in primo Rhætorũ fœdere.] *ſupra Verbanũ lacum* [ita dicitur Plinio, qui Ὑερβανος Straboni, Italis lago maggiore, Germanis Langſee, Itinerariæ tabulæ dici videtur Cuſius, & Virgilio, Maximus, in hoc verſu:

Anne lacus tantus? Tedari, Maxime, &c.

Vox enim illa, ſecundùm quoſdam, *Maxi-*

me,

me, non est lacus Larij, epitheton, sed proprium lacus nomen. Diversas, cur Verbanus nominetur, rationes vide apud Merul. pag. 755.] *ad Muezam fluvium ex Adula monte* [dicitur hic amnis Guillimanno Mesa, unde populo nomen; Merulæ Muetium, Rhætis die Möuſſ/ Italis, la Mueza. oritur specialiter ex monte Aviculâ, quẽ etiam S. Bernardini montem nominant] *propè Bellinzonam in Ticinum defluit* [Guillimannus pag. 429. dicit quatuor supra Bilitionem p. m. Ticiro misceri. Hic fluvius oritur ex monte Summano, seu S. Gotthardi, & vallem Lepontinam, Bellizonamq; præterlapsus & varijs amnibus auctus in Verbanum lacum evolvitur; dicitur Ticinus Plinio, Livio, Silio; *Τίκινος*, Polybio, Straboni, Plutarcho, Ptolomæo; Ticenus, tabulæ itinerariæ, Italis Tesino] *Alij tamen existimarunt Hisarcos populos esse Vindiliciæ, ad ortum Isaræ fluminis.* [vulgò Iser, videatur Cluver. Germ. ant. pag. 725.]

Breuni. *Ad Ænum fluvium populi habitant, Germanis dicti Brunauvver. Hos Aventinus Brennos nominat. Leander Albertus Breunos ponit ad Bellinzonam, ex Bonaventuræ Castilionæi sententia, qui etiam Berinzonam, vel Breunizonam id oppidum* [in faucibus Alpium jacet, inter montes ad Ticinum fluvium, non una arce validum; castrum Bilincionis dicitur Paulo Diacono, & Gregorio Thuronensi; Bernardinus Corius

refert, Valentinianum tertium Imperatorem ſepultum Bilitioni. Paret cum valle Brennia, Uranijs, Suitenſibus & Undervvaldijs] *appellari perhibet, quod ſit Breunorum caſtrum, & tanquam agri Breunizona. Fluvium etiam qui ex Lucumone profluit, Brennium nominant, qui octo millibus paſſuum à Bellinzona Ticino miſcetur: Agrum quoque circa fluvium vallem Brenniam nominat Leander,* [dicitur & vallis Plenia, item val di Palenza] *Horatius inter Vindelicorum populos, quos Druſus devicit, Breunos numerat* [od. 14. Milite nam tuo Druſus Genaunos implacidum genus, Breunoſq; veloces, &c.] *In quibuſdam tamen manuſcriptis codicibus Brenni nominantur:* [Sic quoque pronuntiavit Sabellic. en. 6. lib. 9.] *In alijs Breuci* [ſic apud Suetonium in Tiberio, Rhætico atq; Vindelico gentes Alpinas: Pannonico Breucos & Dalmatas ſubegit, &c.] *Strabo Brencos* [ſic etiam Guarinus] *nominat ac Porphyrio ſcribit, Brennos populos ciſalpinos eſſe: Verùm id Horatij ſententiæ repugnare videtur, qui eos Vindelicis annumerat* [ſed non mirum eſſet Horatium erraſſe, cùm Poëta fuerit, non Geographus.] *Sunt qui exiſtiment Bernenſes nominari à Plinio 19. cap. 3. libri. Quo loco inter Ciſalpinos Feltrini & Tridentini, & Bernenſes* [hos ſtultè Volaterran. lib. 7. credidit eſſe Bernenſes Helvetios] *Rhætica oppida numerantur. Brunecum oppidum in Alpibus* [Brunna etiam vicus apud Suitenſes, ad Breunorum nomen ſatis accedit]

hujus

hujus nominis vestigia servat: Et de ejus loci populis Horatianum versum non incommodè interpretari possumus. Quos verò idem Poëta Gelonos vocat, in quibusdam exemplaribus Genauni, & Gerauni & Genauvi nominantur, quæ postrema lectio videtur magis ad Germanicum idioma accedere, in quo auva, vel ouvv, quod & insulam & agrum significat multis nominibus adjicitur, an autem sint populi ad Glanum fluvium [nescio an per Glanum intelligat Simlerus Glennerum in monte Adularum Alpium membro ortum, vallem Legunitiam præterfluentem, & prope Ilantium oppidum Rheno se miscentem.] *an hi, quos Plinius Naunes vocat* [Cluverius Germ. ant. pag. 776. credit corruptè apud Plinium legi Naunes, & eosdem esse, quos Horatius od. 14. & Strabo Genaunes vocant.] *Et Ptolomæus Benlaunos, Vindelitiæ populi, an alij montani Cisalpini, alijs conjiciendum relinquo.* [Cùm verisimile sit, Breunos esse Bruniæ vallis incolas, istos Genaunes aut Gelones Horatij (si ijdem fuerint, qui Naunes Plinij) fuisse vallis Gelontinæ, & per metathesin literarum, Leguntinæ in primo Rhætorum fœdere, accolas credibile esset, qui Brennis sunt septentrionales.] Naunes [Simlero] *videntur esse, quos Germani vocant Nansser, vel Nansperger, Latini montem Neanis: Vallis hæc est admodum culta in Tridentino Episcopatu, cujus initium tribus milliaribus à Tridento abest, præcipuus vicus hujus vallis Nauns vocatur, per quem*

octo itinera transcunt, in quibus celebriora sunt à Tridento, à lacu Benaco, Bolzano, Merano, valle Camunica, Bormio [de Brennis & Genaunis sic Strabo lib. 4. Vindelici & Norici, montana exteriora tenent magna ex parte cum Brennis, qui jam ad Illyrios pertinent]

Focunates. *Hos ex conjectura quidam existimant referendos ad vallem, quæ ab oppido Suls (quod nunc D. Bartholomæi habet) vallis solis nominatur, & partim Venetis, partim Tridentino Episcopo paret, atque ad vallem Camunicam, & Volturenorum montes pertingit. Per hanc vallem fl. Nußius defluit, qui ex montibus Camunicos ab hac valle dividentibus ex adverso Ollij oritur.* [in hac sententia fuit Hermolaus, qui etiam Focunates Plinii esse Bechunos Βεχουνὸς Ptolomæi credidit. Focunates vallem Serianam colere notat Leander.]

Vindelicorum Gentes IIII. *Ita quidem in exemplaribus Plinij impressis, quæ ego vidi, legitur. Verùm mendum mihi esse videtur, in numerorum notis, omissa librariorum incuriâ nota quinarij numeri. Itaque legendum arbitror, Vindelicorum gentes VIIII. Nam quatuor quæ proximè præcedunt, non pertinent ad Vindelicos, mihi magis probatur eorum sententia, qui illas cis Alpes ostendunt. Atque ut maximè illæ gentes Vindelicæ sint, tamen non est dubium, gentes, quæ proximè sequuntur, novem numero ad Vindelicos pertinere & Rhetos: itaque cùm subjicitur, Gallicæ, id pertinet ad gentes, quæ has novem sequuntur: quòd si quatuor tan-*

tantùm sint Vindelicorum gentes, oportebit, Abisontes, Rugusços, & alias Rhætorum gentes Gallis adnumerare, cùm tamen Rhætia nunquam ad Gallicam pertinuerit. Sed hîc subsistimus nec de reliquis, tanquam nimium remotis agimus, pauca quoque de illis haberemus dicenda.

Antiqua quædam fœderatorum loca.

IN primo Rhætorum fœdere sunt quædam loca, quæ vel à *Rhætio* Tuscorum duce, vel à *Tuscis* ipsis fundata creduntur, eorumque nomina retinent.

Johannes Camertes in Solin. cap. 34. dicit, *Rhætium* (vulgò *Retzuns*) à Rhæto primo conditore denominatum. *Dux ipse Rhætus*, inquit Sprech. pal. Rhæt. lib. 1. *tria, ut pote Rhætiam altam* (Rhealt) *imam, & Rhætium suo nomine insignita* loca erigit. *Tusciana* (Tuscis) vicus est nomen à Tuscis, ut & originem habens teste eodem *Sprech.*

Speluga (Splugen) insignis est vicus teste Willichio in Tacitum, per quem iter faciunt, qui ex Curia in Italiam per Aviculam aut Ursum proficiscuntur.. Antoninus hunc locum, *Curiam Tarvesede* nominare videtur, si tamen milliaria conveniant, quod non fieri ostendit *Guillim.* p. 429. Si igitur Speluga est Tarvesede veterum, cùm alius opportunior vicus hâc iter facientibus non occurrat, tum vel

erravit

erravit in dimensione *Antoninus*, vel vitiati sunt apud ipsum numeri, quod in hoc sæpè accidit authore, vide *Simler.* de Alp. Est tamen locus in tabulis geographicis dictus Tarvesede (q. torvæ ædes) hodie Madesium in valle S. Jacobi supra Clavennam, & sub illius oppidi jurisdictione per hanc vallem fluit Lira amnis : ibi quoque regia via erat, vide *Sprech.* pal. Rhæt. lib. 10.

In summis Alpibus situs est locus *Themen* dictus forsan à Tennanis, sicut apud Strabonem pro Genaunis legit *Guarinus*, de quibus etiam inter populos Rhæticos *Sabellicus* enn. 6. lib. 6.

In secundo Rhætorum fœdere.

Curia Rhætorum, Germanis Chur / Gallis *Coire* oppidum hodie est ad dextram fl. Obstreperi, Plessuræ nomine, qui ex valle Scanavina in Rhenum infra Curiam 2. m. p. influit, situm. Affirmant Curienses antiquitus *Imberg* dictam, referente *Guilliman.* p. 430. Alii Ptolomæum, qui sub Adriano & Marco Antonino Imperatoribus vixit, ejus meminisse, & *Ebrodurum*, aut *Ebodurum* nominasse affirmant. *Guillim.* ibid. *Sprech.* lib. 8. pal. Rhæt. *Antoninus* non amplius Ebodurum vocat, sed *Curiam Rhætorum*, quam à Brigantio, L. m. p. & à Tinnetione XX. m. p. distare ait. *Onuphrius* colonias Rhætiæ recensens hujus mentionem

tionem facit; fuerunt autem quinque, *Augusta Quintanorum, Augusta Tiberij*, hodie Reginoburg; *Augusta Rhætorum*, Augspurg; *Colonia Constantia*, Costentz; & *Curia*, Chur. *Munsterus* lib. 3. ejus originem ad Constantij Constantini filij tempora refert, circa an. C. 357. *Curiæ* nomen desumptum videtur ex populis Corvantiis, quos inter petulantissimos Rhætiæ populos ponit *Strabo* lib. 4. quique Celtarum primi hanc incoluerunt regionem. *Sprech.* lib. 8. hos feroces & in arcibus ac naturâ munitis locis degentes socios & cives assumpserunt Rhæti Tuscorum progenies in hos montes profugi ex Italia. Idem Sprech. lib. 1. qui lib. 2. & 8. de istius urbis incrementis agit. Cùm enim ab Hadriani temporibus Rhætia, in duas, primam & secundam, divideretur, utrique præsides dati à Romanis: Secundæ Rhætiæ præses Augustæ Vindelicorum sedem habuit, Primæ verò in duobus castris, *Marsoila* (mars in oculis) & *Spinoila* (spina in oculis) ab his successiva habuisse incrementa vult *Sprecherus*, tum etiam ab arce egregia, quæ in planitie erat, Planterra (Imburg) jam centrum civitatis, hoc est, emporio ibidem extructo. Aucta deinde fuit Curia, quum in campis Caninis Constantius imperator anno circiter 355. contra Alemannos hyberna sua haberet. Vide fusiùs tum Munst. tum Sprech. apud quos etiam vide de Episcopis & Episcopatu Curiensi, &c.

rienſi, &c. In templo S. Lucij tria viſuntur Epitaphia antiqua ſatis, ſed etiam barbara ſatis. Duo meminerunt duorum Rhætiæ præſidum; Tertium circa ann. 540. Epiſcopi cujuſdam, duo priora à Guillimanno pag. 421; Tertium à Sprechero lib. 8. referuntur.

Primum.

HIC SVB ISTA LAPIDE
MARMOREA
QVEM VECTOR VER IN
LVSTER PRESES
ORDINAVIT VENIRE
DE VENOSTES
HIC REQVIESCIT
DOMINVS.

Alterum.

HIC SVB ISTA LABI
DE MARMOREA
QVEM VECTOR
VIR INLVSTER PRESES
ORDINAVIT VENIRE
DE TRIDENTO
HIC REQVIESCIT
CLARESIMVS VICTOR
PROAVVS
DMNI VECTORIS
EPI
ET DOMNI JACTADI.

Tertium.

SCEM. EPCS.
HOC JACET IN TOMOLO QVEM DEFLET RETICA TELLVS
MAXIMA SVMMORVM GLORIA PONTIFICVM.

AB-

ABIECTIS QVI FVDIT OPES NVDATAQVE VEXIT
AGMINA CAPTIVIS PRÆMIA LARGA FERENS.
EST PIETAS VICINA POLO NEC FVNERIS ICTVM
SENTIS OVANS FACTIS QVI PETIT ASTRA BONIS
HIS POLLENS TITVLIS VALENTINIANE SACERDOS
CREDERIS A CVNCTIS NON POTVISSE MORI.
QVI VIXIT IN HOC SAEC. C. ANN. PLS. MN. LXX. DPS. SVB. D 75. ID. IAN. SPPs. PCs. BASIV CCS IN DXI. PAVLINVS NEPOS IPSIVS HAEC FIERI ORDINAVIT.

Tinnetio, cujus meminit Antoninus, vetus nomen retinet, Rhæti enim *Tinnezono*, Germani Tinßen vocant, vicus est à curia tribus milliaribus Germanicis distans, ab eo itur ad alium vicum, quem Germani *Stallam* vocant, Rhæti *Bevio*, quòd illic via per Alpes in duas partes dividatur, una per Septam, aut Septimium montem Clavennam ad Larium, altera ad Engadinos tendit per Julium montem, ubi columna Julij Cæsaris ostenditur. *Simler.* de Alp.

Murum (hodie Castelmur) distat, secundùm Antoninum, qui hujus meminit, à Curia Tinnetionum XV. m. p. & à summo lacus Larii XX m. p. Vicus est Prægalliæ vallis per quam à Septimo ad Lariũ descenditur, propè quem

quem arcis, à qua Nobilis Castromurorum familia nomen habet; ruinæ apparent. *Simler.* de Alp.

In tertio Rhætorum fœdere.

Mayenfeld oppidũ est hodie (inquit Guillim.) ad Rhenũ planitie patentiore frumenti vinique juxta feracia & amœna. Antiquum esse volunt, & dictum Majavillam, quasi Majæ villam aut campum, à Maja Mercurij matre, quæ apud Paganos ibi colebatur. *Munst.* lib. 3. *Guillim.* lib. 4. p. 437. *Sprech.* lib. 9. Idem tamen *Munsterus* alio loco Majavillam corruptè pro *magnam villam* dici credit. Antiquitates Episcopatus Currienfis, *Lupinum* vocant, teste *Sprechero.*

Clavenna hodie oppidum est sub Rhætorum dominio, meminit *Paulus Diaconus* lib. VI. Langbard. cap. 21. *Clavenâ* Antonino, *Chiavenna* Italis, *Cleven* incolis dicitur, distat secundùm Antoninum à Curia Tarvesede X V. m. p. & à lacu Lario X. m. p. Nomen à *Clave* venit, per castrum enim Clavennæ, tanquam per clavem cæteris populis transitus in Italiam olim præcludebatur. *Sprech.* lib. 10.

Pro fine & conclusione, Germanorum, Alemannorum, & Vandalorum denominationes, seu unde dicti credantur, subjungemus: cujus rei cognitio, ad historiæ Helveticæ notitiam, non erit inutilis.

Sicut

Sicut, secundùm quosdam, Gomer cognominatus Gallus, Latinorum, & Tubal Hispanorum, sic Thuisco Germanorum pater fuit, qui Thuisco, primus Teutonum & Sarmatarum Princeps cùm esset, ab eo, qui Germani dicti, priùs Thuiscones nominabantur. Quidam Germanos dictos volunt, quòd se Germanos omnes vocarent, id est, fratres. Aliis dicuntur Germani, à voce antiqua Celtica, *Gerre*, unde Gallicum vocabulum, *Guerre*, id est, bellum, & *Mann*/id est, vir, quasi dicas belli virum, quod nomen nonnisi excellentioribus tributum, *Sprech.* lib. 2. pall. Rhæt. *Carion.* lib. 4. *Cluver.* lib. 1. cap. 8. Germ. ant. De Germanis varia apud omnes ferè Veteres mentio. Tacitus præcipuè de situ, moribus & Populis Germaniæ libellum reliquit: Et Cæsar eos Helvetiis facit finitimos, interjecto tantùm Rheno. Refert etiam *Ammianus*, lacus Brigantini accolas vocatos fuisse *Alemannos*, qua ratione Helvetiorum fuerunt vicini, non minùs quàm Rhætorum. De his Alemannis variè meminerunt historici. Quidam nominum similitudine decepti malè Alemannos deducunt à lacu Lemano: Nec melior est Othonis Frisigensis originatio, quâ Allemannos dictos censet, à Lemanno fluvio, qui ex lacu Tigurino egressus, in Rhenum exoneratur, sed vitiosè *Lemannum* pro Limago dixit,

ut alibi jam obſervavimus. Aliis putantur dicti, quaſi Allerley Mann/ id eſt, omnis generis homines, ſeu promiſcua ex Germaniæ populis multitudo, propter Romanorum ducum tyrannides, ad recuperandam libertatem concurrens, & ad invadendos Romanos fines conjunctis animis, & uno veluti fœdere parata. *Carion.* p. m. 289. *Sprech.* lib. 2. Sicut Germani, hoc eſt, planè viri, re fortiter geſta nomen invenerunt, Authore *Tacito*: ita qui Romanorum ſervitutem, potentiamq; ultra ferre non potuerunt, *Alemannos*, hoc eſt, omnes viros dictos judicat *Guillim.* lib. 2. p. 173. *Agathias* à Græca voce dictos eſſe ſcribit quaſi ἀλήμονας, id eſt, errantes ſeu vagabundos. *Alemanni*, inquit Agathias lib. 1. *ſi Aſinio Quadrato viro Italicenſi fides præſtanda eſt, adventicij ſunt, & ex varia hominum colluvione conflati, quod ſanè eorum cognomento præfertur.* De Allemannis ſic Viterbienſis:

Rhenus ab antiquis deſcribitur eſſe Lemannus,
Indeque nonnulli dictos referunt Alemannos,
Sed vox æquivoca nomina falſa parat.
Illud ego nomen alia video ratione,
Quidquid priſca ſonent, quod ſentio, littera promet,
Lector ab hinc capiet, quæ magis apta ſonent,
Alle ſonat totum; Man, vir. Si Theutona lingua
Hæc duo conjungat, totum vir littera ſignat;
L. geminata ſatis nomina clara facit.

Vadia-

Vadianus in Epist. ad Rudolphum Agricolam refert, Alemannos dictos à Deo *Alman*, quem peculiariter coluerunt, cujus simulachrum adhuc in lacus Constantiensis ripæ vetustissimo cœnobio, Augiam majorem vocant hodie, cernitur; ut id se vidisse, in sua Geographia testatur *Uladislaus Suntham.*

Carion Chron. lib. 4. ait, primam Alemannorum reperiri mentionem in historia Valerij Probi, qui trucidatis quadringentis Francorum & Alemannorum millibus, utramq; gentem repressit. Duplex autem est *Carionis* sententia, prima ea est, qua *Alanos* ab *Alemannis* non discernit, quorum nominum illud in hoc migravit exigua mutatione, quàm non aliter accidisse existimat, quàm evenit, ut qui Alani in oriente vocati sunt, nunc Albani nominentur. Altera est, quæ habetur lib. 2. his verbis: *Etsi nomen Alemani vicinum est,* (scilicet Alani) *& effusam* esse Alanorum gentem in occidentem constat: tamen non affirmo, inde factam esse appellationem Alemannorum. Cæterùm etymologia ducis est, Alman ab Elam, quod est Juvenis, unde & Alma est, quod virginem significat.

Sicut variæ fuerunt *Vandalorum* variis temporibus migrationes & expeditiones, ita de illorum denominatione diversa est Autho-

rum ſententia. Vandalos Germaniæ populos à fluvio, quem accolunt, nominatos cenſet *Sabellicus* enn. 6. lib. 9. Refert *Munſterus* lib. 3. quoſdam ita dictos à Regina *Vanda*, credidiſſe. Alij à Vandalo Germaniæ rege, cujus meminerit *Tacitus*, derivant. *Verdier.* lib. 1. Hunc Vandalum octavum Germanorum regem facit *Willichius* in Tacitum, qui lib. de morib. Germ. hos populos Vandalios vocat, & de illorum origine ſic loquitur. *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoreſque: Manno tres filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medij Hermiones, cæteri Iſtævones vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina.* Non contemnēda videtur Carionis opinio, quæ habetur lib. 4. his verbis. *Ingævonum & Vandalorum nomina non petitis procul derivationibus, nec aſſumpto etymo alieno, aut violenter detorto, conjicio contraria eſſe. Ingævones ſono ſignificatoque ſuffragante ſignificant indigenas & αὐτόχθονας*, quaſi Einwohner / *Vandali advenas ſeu peregrinos & novos homines.* Wandeln *enim Germanica lingua uſitatiſſima & notiſſima idem eſt, quod peregrinari. Nec repugno, ſi quis Vandalos ideo nominatos exiſtimet,*

per-

pervulgata his temporibus consuetudine, & significato usu trito, quod negotiorum & mercimoniorum commutandorum causâ longa susceperint itinera, & diversas obierint terras, ut Ingævones fuerint coloni & agricolæ, qui colenda terra domi: Vandali verò negotiatores, qui evehendis invehendisque mercimoniis alibi victum quæsiverunt. Eos autem cum Burgundionibus in Helvetia substitisse supra diximus. His verò finem imponimus.

SOLI DEO GLORIA.

Obſervationes quædam omiſſæ.

Ad pag. 1. Cuſco Peruviæ caput A. circiter 1650 ingenti terræ motu corruit, eoque in loco mox fluvius emanavit. *DN. Gaudard, ex Relationib. Peruvianis.*

Ad pag. 13. Exiſtimant quidam, antiqua & Celtica voce *Pach* pagum ſignificari, inde & Romanis mutuatum, & in variorum vicorũ urbiumque compoſitionibus uſurpatum, ut Marpach / Sempach / ꝛc. Ach verò Celticâ linguâ agrum ſignificat, hinc Germanicum Acher / unde compoſita nomina Reinach / Montenach / ꝛc. Ex obſervat. *Dan. Erem.*

Ad caput. IV. Helvetiæ ſoli natura ex Glareano.

Si verò, Helvetiæ quæ ſit natura, requiris,
Conditio eſt duplex; terræ natura biformis.
Namq; ubi ad Italiam vergit, ſolemq; calentem,
Montana eſt, ſed enim ridenti fertilis arvo,
Fontibus irrigua, & florentibus optima pratis;
Lucis & ſylvis, pecori gratiſſima tellus,
Phæacum terras, Corcyrea gramina vincit,
Et longè poſitos alio ſub ſole Britannos.
Sed contra Boream, ortumq; obitumq; aſtrorum.
Plana jacet campis, fœcundoq; utilis agro:
Frumenti viniq; ferax & divite rure,
Collibus apricis, quos pampinus ornat & uva.

Ad

Ad cap. VII. p. 41. Est rupes apud Aquileenses marmoris nigri: & aqud Uranienses reperitur marmor nigrum & album; Apud Glaronenses verò Lithostilbe pulcherrima, &c, *ex observ. D. Huldrici.*

Ad pag. 46. Constat experientiâ, & venatorum montanorum testimonio, albos dari lepores, eosque minores, qui hyeme albescunt, æstate verò cinerei sunt coloris, à majoribus colorem non mutantibus differentes.

Ad pag. 47. Ferunt quoque Alpinæ regiones noctuas, ut ipse testari possum, tamen an ubiq; in Alpibus reperiantur, non assero. Negarunt hoc quidam, ut ex *Ionstono* patet p. 258.

Ad pag. 92. Veteri lingua Celtica *Ader*, & contractè *Ar* venam significat, quasi dicas fluvios esse venas terræ. *Ex observ. Dan. Erem.*

Ad pag. 95. Taurus, Daur, quasi die Aur, vel Uhr, contractè Dur, *Ex observ. ejusdem.*

Ad pag. 101. de lacu Lemanno. Percas vesiculam quandam rubram ex ore pendentem, per idem emittere, piscatores in Lemanno lacu, ut narrat Gessnerus, observarunt, quæ vel invitas supernatare cogit. Præ iracundia autem id fieri existimant, quòd in retia inciderint; hoc enim tum maximè pati, cùm trahunt eadem: sed mirum est, hyeme tantùm id ipsis accidere. *ex Ionstono* pag. 423.

Ad

Ad pag. 112. Rivarius editissimis & visu horrendis undiq; montibus clausus metū facit inspectanti, tanquam nusquam exitus sit. *Daniel Erem.* Nomen Walchstatt/ Italorum oppidum, aut potiùs stationem significat. Walch enim (teste Guillim. de reb Helv. p. 148.) cùm propè omnes Germani, qui alia, quàm Germanicâ uruntur linguâ, tum præcipuè Italos nominant.

Errata præcipua benevolus Lector sic corriget, reliquis levioribus ignoscet.

Pag. 1. *linea.* 8. *lege* multitudine. *p.* 7. *l.* 7. *dele* â. *p.* 8. *l.* 11. *lege* ille. *p.* 11. *l.* 18. *lege* ex. *p.* 28. 13. *dele* XV &. 36. 28. Platina. 62. 27. *dele* aliquibus. 65. 18. Larigno. 68. 13. quot. 77. 9. *post descriptionem adde* &. 88. *l.* 11. annis. 94. 26. ferre. 142. 28. sic. 162. 6. Insania. 173. *l. ultima post convertit adde* partim. 179 *l. ultimâ* jus suum. *p.* 239. 16. *lege* aut. *p.* 302. *l.* 17. *lege* Descriptionem.

INDEX RERVM ET Verborum.

A

Abies in monte Jura. p. 28. & alibi. 64
Abiolica 255
Adula. 57
Alani. 355
Albius Mons. 60
Alpes Pennina. 49. Summa 52. Lepontia 55
Rhatia. 57. Pœnina 59

Alpium

Alpium animalia 44. ὁμωνυμία. 31. συνωνυμία 32. ἐτυμολογία. 33. *longitudo* 35. *latitudo & altitudo* 36. *Admiranda* 39. &c.
Allobroges 314
Allemanni 353
Am Gaul linguâ Celticâ significat ad Saxum. 324.
Antuates 318
Aquæ acidulæ 73. *federicæ.* 74
Aquæ Helvetica, Baden. 282
Arbor salix 298
Ardyes populi. 322
Arola mons. 53
Arpentia urbs antiquissima. 242
Arula fl. 92
Arua fl. 96
Avellanarum copia in monte Jura 29
Augusta Rauracorum 307
Aventicum 260

B

Basilea pag. 308
Berna 151
Betula in monte Jura 28
Biellensis lacus 106
Blouven M. 25
Bramagus 257
Bremgarten 285
Brientzensis lacus 108
Briga quid? 331
Brigantinus lacus 102
Bromagus lacus 107

Breuni 343
Burgundiones 128
Byrſa fl. 96

C

Calarona pag. 256
Camuni 340
Cani populi 333
Caſtanearum ſylvæ 62
Caverna quædam mirabilis apud Abbatiſcellanos 43
Celtæ qui? 4
Civitas unde dicta? 12
Civitas vel Colonia Equeſtrū quæ? 239
Clavenna 352
Coloniæ quid? 182
Cryſtallus in Alpibus 41
Curia Rhætorum 348
Certiacum 294
Confluentia 295

E

Ebrodunum pag. 252
Emma fl. 93
Eulach fl. 96
Ergentz fl. 96
Europæ laudes 1

F

Fagus in Helvetia pag. 63
Fontes varij generis. 66. *eorum origo.* 67. *qualitates.* 69. *medicati.* 73. *ſalſi.* 74. *ſulphurei.* 75. *tepidi.* 79. *rubrum colorem inducentes, ibid. Fluvij Helvetiæ* 92. *Noxij* 80

Focu-

Focunates 346
Forum Tiberij 293
Fraxinus 66

G

Gallia Braccata & Comata pag. 5
Gasteren 301
Geneva 223
Germania triplex 5
Germani 353
Gessatæ 126
Glaronenses 288
S. Gotthardi M. 56
Grimsula M. 56
Grisones 333

H

Hallvvylersee pag. 108
Haselij 281
Helvetia quot constet hodie partibus, vide Tabel. posteriorem circa pag. 18. & 19
Helvetiæ descriptionem Generalem & Specialem vide Tab. priori circa pag. 4 & 5
Helvetiæ laus in quibusdam? 2
Helvetia sub variis provinciis habita 5. 6
Illius limites, longitudo, latitudo, 8. 9. qualitas. 18. Divisio 12. &c.
Helvetiorum origo. 113. nomina 124. lingua 128. mores quoad corpus 138. ingenium 145. Domicilia. 150. vivendi modus. 152. Iustitia 162. fidelitas & constantia. 164. Hospitalitas, 165. Ethnicismus, 166. Christianismus, 172. politia, 177. virtus bellica 200.

Herbæ

Herbæ medicales in Alpibus 43
Hercinia ſylva 61
Hermiones 356
Hiſarci 342

I

Ibices pag. 46
Imthal vallis 60
Ingævones 356
Iſtævones 356
Iorat ſylva in regione Vaudi 62
Iura mons, 24. varias habet valles 27. admirandis non caret 28
Iurienſis lacus 107
Iuberi populi 331

L

Labinæ quid? pag. 40
Lapides varij generis & uſus in Alpib. 41
Larix 64
Larius lacus 334
Lauſanna 241. Ejus origo 242
Lemannus lacus 98
Lepontij 334
Lepores in Alpibus 46
Limmagus 95
Lingua Helvetiorum. 128. & Rhætorum 137
Lucerna 285
Lucernenſis lacus 110
Lucumo M. 56.58
Latobrigi 305

M

Marcomanni 125. *Martiniacum* pag. 327
Mayenfeld 352
Metalla in Helvetia 21. 48
Minodum, Minodunum, Melduinum 258
Mures Alpini 45
Muratenſis Lacus 106
Murus Cæſaris propè Genevam 233
Murum 351

N

Nantuates ubi ſint? 335
Naunes 345
Neocomenſis lacus 105
Nevidunum 236
Noidenolex 269
Nobilitas Helvetica 193
Nuithones 313
Nympharum ſacellum apud Rhætos 58

O

Octodurum pag. 326
Orbæ admirandus ex lacu Jurienſi exitus 29

P

Pagus unde dictus? pag. 13
Pagi Helvetici 13. 15. 16. *Urbigenus.* 236. *Ambronicus* 270. *Tuginus.* 280. *Tigurinus.* 188
Paterniacum 259
Penne Lucus 319
Petineſca 268
Petræ pertuſæ deſcriptio 29. 30
Pilati mons 61. *Lacus* 109
Pſin 300

Plan-

Platanus 65
Pons tremens 55
Polipodium 63
Politia Helvetiorum 177

Q

Quadi pag. 127
Quatuor Helvetiorum pagi qui? 12 &c.
Querceta in Helvetia 63

R

Rauraci pag. 306
Rhæti 332. *Rhætium* 347
Rhætico mons 38. 58
Rheguſci vel Ruguſci populi 337
Rhenus 81
Rhodanus 88
Rhinovium 300
Richenſeè lacus 108
Rivarius lacus 112
Rupertiſvilla 295

S

Sabaudiá pag. 315
Salodurum 271
Sarunetes 341
Seduni & Sedunum 328
Sequani 311
Semigermani
Sempacherſee 109
Sempronius mons 53
Speluga m. 58. 347
Stantz 281

Steina 299
Suanetes 287
Suitia & Suitij 287
Surſee 108
Sylvanij 281
Sylvæ in Helvetia 61
Sylvius mons 54

T

Tarnadas pag. 323
Tarveſede 347
Tauriſci 126. 286
Thaurus fl. 95
Taxus in monte Jurá 29
Thermarum calor unde? 76
Thermæ Badenſes 76. *Fabarianæ.* 77. *Alvanienſes* 78. *S. Martini, ibid. Leucenſes* 78. *Brigenſes* 79
Tigurinus lacus 111
Tigurum 289
Tinnetio 351
Tobinium 280
Toſa fl. 95
Thunenſis lacus 108
Triumpilini 339
Tugenus lacus 110
Tugeni 280
Tulingi 303

V

Valleſia, Valinſa, Valleſiani pag. 321

Vallis infernalis 56
Vallonia Dea 321
Walenſtad 300
Vandali 355
Vennones 340
Vennonetes 341
Ventis quibuſdam obnoxia Helvetia 22
Veragri 323
Vettinga 292
Wieſa fl. 96
Viberi 331
Villaria propè Muratũ, & ejus inſcriptiones Rom. 264
Vindelici 346
Vindoniſſa 275
Viſcus quomodo conficitur? 28
Viſcum quernum 63
Vitodurum 296
Viviſcum 255
Voctius mons 26
Uranij 282
Urba 251
Urſa fl. 94
Vultures & Urogalli 47
Vulturinum & Urdorffenſe balneum 77

FINIS.

A OE 1614

UNIVERSIDAD DE SEVILLA

600149875